

Ranchin, François / Casaubon, Isaac.
Fr. Ranchini regis consilarii medici
consultissimi, celeberrimaeque
Monspeliensis Universitatis
Professoris acutissimi, & Cancelarii
Amplissimi, Praelectionum
Monspeliensium Tomus Primus. In
quo continentur, Commentarius in
Hippocratis jusjurandum, cum Is.
Casauboni Notis. Pathologia
universalis absoluta, cim
Controversiis in utramque partem
agitatis & decisis. Tractatus de
crisibus, cum Quaestionum itidem
circa eam materiam motarum,
enodatione.

Monspeli, Ex typographia Joannis Gileti, 1618.
Cote : 90958, t.547, n°2

FR. RANCHINI

REGIS CONSILIARII MEDICI

CONSULTISSIMI, CELEBERRIMÆQUE

Monspeliensis Vniuersitatis Professoris

acutissimi, & Cancellarij

Amplissimi,

PRÆLECTIONVM MONSPELIENSIVM

TOMVS PRIMVS.

IN QVO CONTINENTVR,

COMMENTARIVS IN HIPPOCRATIS

IVSVRANDVM, cum Is. CASABONI Notis.

PATHOLOGIA VNIVERSALIS Absoluta, cum Con-
trouersis in utramq; partem agitis & decis.

TRACTATVS DE CRISIBVS, cum Questionum iidem
circa eam materiam notarum, enodatione.

Omnia Diuinâ planè Methodo scripta, & in
gratiam Φιλιατῶν publici Iuris facta,

CVRA ET STUDIO

HENRICI GRASSI L. H. G.

Med. Bac. & Vniuersitatis Consiliarij.

MONSPELI.

Ex Typographia IOANNIS GILETI.

Cum privilegio Regis.

M. DCXVIII.

7. 23.
Ninet

0 1 2 3 4 5



2
VIRO VERE VIRO,
D. D. FR. RANCHINO,
REGIS CONSILIARIO-MEDICO
CONSULTISSIMO, UNIVERSITATIS
Monspelienſis Profeſſori acutiſſimo, Can-
cellario Ampliſſimo, Iudici integerrimo,
eiufdemq; Reſtauratori Munificentiſſimo,
& Conſervatori Beneficentiſſimo, Præce-
ptori ſuo colendiſſimo,

HENRICVS GRASSVS,
L. H. G. Med. Bac. & Celeber-
rimæ Uniuerſitatis Conſiliarius,
Discipulus obſequentiſſimus, S.



NGERONA Dea tantū co-
lebatur antiquitū, vt apud
Eleuſinios capitale fuerit ex
Myſterijs quicquam pro-
palāſſe. O rectam Legem, ſi
vetet ea quæ turpia ſunt, lin-
guæ fluxu quodam, effrænique impetu, pari

prorsus ac ea quæ pulchra, proferri aūdaciâ.
 Iniquam verò, si gliscentis Inscitiæ tædas ani-
 met, aut Virtutis aliquod, currentis Sortis a-
 xem, sufflumen Sciendi cupidis inuideat. Sunt
 equidem, vt vulgò dici consuevit, quædā com-
 mittenda, quædam celanda, ἀλλὰ τὸ μὴ φάσθαι,
 τὸ δὲ γὰρ αὖ κεκρύμμενον εἶναι. Verum vt conni-
 uisse, multumq; obforduisse, noxium est, ita
 quoq; nimis obmutuisse, perniciosum: Cum
 omnia etiam in vulgus efferri conducibile sit,
 alia tamen ad correctionem, ad æmulationem
 verò alia. Sanè si verum est, vti perhibent cu-
 riosi rerū inuestigatores, in Monte Rhodi In-
 sulæ Atabyro, oues æneas fuisse, quæ balarent,
 quoties ibi quippiam fieret iniqui: Cur utiq;
 disparili tamē, pariliq; quodammodo ratione,
 hoc in MONTE PELIO, tot Apollinū oraculis in-
 cluto nō reperietur, qui saltim eorū partē, quæ
 Cedro digna sunt, adamantinaq; merētur fig-
 nari voce, publicè doctorū hominū in manus
 conspectumq; det? Ego certè, S V B T I L I S-
 S I M E R A N C H I N E, P R Æ C E P T O R C O L E N D I S-
 S I M E, tui quantillus admirator, ea munia ca-
 pssens, operum tuorum latebras pando, ne
 posteritatis obliuione extinguantur: sed ab æui
 tacitè se voluentis edaci dente libera quoquo-
 uersum ad publicā vtilitatem, restibili sese for-

cunditate propagent. Hoc nitore tuæ Subtilitatis debetur; hoc efflictim vniuersa φιλιὰς τῶν turba, tibi tantoperè deuincta, desiderabat; Ad hoc itidem ea; quâ te colo obseruantia, me iugiter extimulauit, Nec ab instituto dimouit, aut posthac absterrebit vnquam κακομηχανῶν κακοθήσα, qui sub Momi lucernâ carpentes acriter aliena, contemptim omnia pari turbine propellunt; & locos, personasque fastidientes, toruoq; liuoris oculo, despicientes, sibi solis tantum placent, reliquos perpetim minacibus, brutis tamen fulminibus, impetentes. His debetur Boia Catastæ, aut minimùm, si qua miseratio subest, decernendus obiurgator, cui illi, sicut Æsopica Vipera limæ, allidentes, sese non rutilo, quo carent, sed liuido sanguine, raboque fluente, cruentent. Sic toties arcessita veniet illa dies, quæ strepidulis his anseribus, ad rauim tamen obstrigillantibus, silentium piscis, & quidē pingui mēsurâ ponet.

Interim ego, PRÆCEPTOR COLENDISSIME, morem Ægyptiorum sequutus, qui Mercurio libros dicabāt, à quo omnia putarent inuenta, hunc librum Amplitudini tuæ consecratum, & inauguratum esse volui, quia Facundiâ, Inuentione, & Solidâ Subtilitate verè Mercurius es, & quia tuus est. Sic bilanx in eam vergit

partem, vnde plus accepit, & Cœlestis ille
 Solsequij flos, ad beneficum Planetam indefi-
 nenter sese coniugali quodam æstro conuertit.
 Hos igitur fœtus tuos, peregrè quidem à me
 Discipulo tuo, accitos, ad te verò, iam reduces,
 inoffenso, rectoque calle gradientes, liberali-
 ter admirte; illisque oculum oggeras, vt siquid
 paterni splendoris amiserint, exigas ad obruf-
 sam. Quamuis enim in his, vt quondam in A-
 pellea Venere, quæ tantoperè inchoata protin-
 us oculos tenuit, frustra summa desideretur
 manus; perfectiora tamen ea sunt, quæ statim
 ab Authore, quàm quæ per aliquot annorum
 vices, ab ipso licet fideliter excepta, aliunde
 prodeūt. Neq; patiaris, obsecro, diutiùs orbari
 Medicam turbam reliquis tuis, quas premis,
 lucubrationibus, cuiusmodi sunt absolutissimi
 COMMENTARII IN MESVÆI THEOREMATA,
 & in eundem DE SIMPLICIBVS MEDICAMEN-
 TIS: Breuis itidem, sed tamen prorsus
 amissitatus ille TRACTATVS DE MINERA-
 LIBVS: QVÆSTIONES quoque PHAR-
 MACEVTICÆ: LIBER DE VENENIS, &
 ARCHIMEDEA ILLA PROBLEMATA,
 in quib* Subtilitatis Doctrinæq; splendor sum-
 mus, & Lynceus planè animus, qui te facit æ-
 qualem Phœbo, mirum in modum elucescit.

ΕΠΗΡΟΚΟΜΙΚΗ similiter, in quâ tam accuratè,
 cumulatèq; DE SENVM CONSERVATIONE ET
 SENILIVM MORBORVM CVRATIONE
 verba facis, vt omnia videantur Apolline digna,
 digna etiam Ioue; nam arcana pandis, quibus
 vitæ stamina prolongans, Hercule potentior,
 qui Tricorpore tantum Geryonem vicit, to-
 ties Parcarum trigam debellasti; dū Heros inui-
 ctissimus, Dux Mōtmorancius, Franciæ Cōne-
 stabilis, alijq; multi tuâ fidâ operâ, lustris tot ir-
 risere Charontem. Nec etiâ inuideas librum
 DE MORBIS PVERILIBVS, & acutum,
 argutumq; Tractatum DE VIRGINVM AF-
 FECTIBVS, vt quam Senectus iam senfir,
 eandem ætas alia, & sexus omnis, gratiam ha-
 beat, tibiq; pari beneficio deuinciatur. Prodeat
 simul APOLLINARIS CORONA, quam vn-
 decim illi viri, Phœbi Mystæ Clarissimi dua-
 rum hîc vacantium professionum Competito-
 res, vndecim dodecades Medicorum proble-
 matum enodantes, argumentando, responden-
 doq; , infinitis oraculis, quæ manu tuâ propriâ,
 ex ipsorum ore fideliter adnotata sunt, varico-
 loribus tanquam flosculis texuerunt. Hæc &
 alia tua opera tam vtilia, in tenebris amplius,
 oro, ne latitent: sed breui mittantur in lucem,
 cū ijs tota Philiatrôn cohors minus carere

queat, quàm Mundus Sole. Erue denique, si placet, ex Instructissimâ tuâ Bibliothecâ, MANUSCRIPTAM ILLAM PRACTICAM MEDICAM antiquissimam IOANNIS PISIS ante annos 185. circiter Vniuersitatis huiusce Cancellarij, & ANTONII SAPORTÆ pariter Cancellarij TRACTATVM DE TVMORIBVS CONTRA NATVRAM, ipsiusmet manu scriptũ. Ac perantiquum illum COMMENTARIVM QVATVOR MAGISTRORVM IN ROGERII CHIRVrgIAM. Nec in. propterea Thesaurus tuus imminuetur, sicuti nec de proprio lumine, lumen alienum accendenti, quicquam proprij luminis decedit. Vetera igitur illustra, longæuitate rubiginata, & ad laudis æmulationem surgenti, adnitiq; sæculo, manum porrige. Tibi sunt omnia data, nulla negata. Victoriosa ne illa dextera, tot compositis libris fatigata succumbet? Sibylla certè non cecinit, quæ dum viueret tantum, sed etiam quæ cum perisset ipsa, prodesse. PAPÆ COLLEGIUM instauratum, constructumque proprijs sumptibus ANATOMICVM THEATRVM, simul & ÆDICVLA, quam paras, beneficiæ tuæ certissima sunt equidem indicia: sed hæc squallentis æui senio delebuntur, nec ideo Nomen ab obliuionis rubigine stabit exemp-

tum, ni sicuti Corpori, Animo pariter, Literarum adhuc beneficio, Monumentum condas. Quippe licet inclytus, vt factis, ita quoque scriptis iam clareas; solent tamen Aromata, quo plus atteruntur, sensus afficere magis, quã dum leui tantum, ac suspensa quodammodo manu transiguntur. Perpes ergo tuum illud augendi, iuuandique Rempubicam Medicam desiderium non algeſcat; quin potiùs affatim Vtilitatis publicæ bono flaminatum, excitũq; perenner. Hisce meis, RANCHINE SVBTILISSIME, PRÆCEPTOR COLENDISSIME, votis annue, quia iusta sunt, huncque librum ex porrecta fronte, sicut offertur, comiter excipe, & Me tui studiosissimum, vti soles, amare perge. Viue longum & Vale, VNIVERSITATIS COLVMEN ET COI LVMEN. Donet te Deus interminati gaudij munere. Ex Musæo meo, Monspelij, eo ipso die ac Mense, quo Minervalia quondam Pæceptoribus soluebantur. Anno Domini. M. DC. XVIII.

ARTE ET MARTE
OPPORTVNIVS.



V I R O

Magnifico, Amplissimoque, Domino D.

FRANCISCO RANCHINO,
Vniuersitatis Monspel. Cancellario meriti-
tissimo, eiusdemq; Restauratori munificen-
tissimo, Conseruatori firmissimo, & Iudici
æquissimo. Necnon ingeniosissimo, doctis-
simoq; D. HENRICO GRASSO, Vniuersi-
tatis Consiliario, eiusque Alumnorum uti-
litatis & priuilegiorum Custodi fidelissimo,
subtilissimi Domini RANCHINI opera
publici juris facienti.

NE craignez point mes vers, deuant chacū paroistre
Encor' que soyez nuds d'un requis ornement,
Puis que l'Honneur, l'Amour, sont ceux qui vous
font naistre,

Donnant à vostre auteur le total mouuement.

Ne craignez de chanter pour l'Auteur de ce liure,
Et celuy qui le met sous sa faueur au iour,
Puisse de tous les deux le renom tousiours viure,
Puis qu'a ce vous oblig' & l'Honneur & l'Amour:

Publians que l'Auteur, de son siecle la gloire,
Ne pouuoit rencontrer, pour sa viue memoire,
Entre tous les Mortels vn plus dign' Instrument;

Et chantans que s'il est de tous Doctes le Maître,
Cettuy-cy l'imitant, le sçaura un iour estre,
Vous chanterez Honneur & Amour iustement.

Audax in lucem salio, nam qui iubet Author
Nobilis est, nec non Nobile fecit opus.
Audax & merito? nam mirâ qui fauet Actor
Ingenij Arte, Capax Nobilitatis erit.

Quæritur Authoris tanti cur scripta laterent?
Causa est, abfuerat cui daret illud opus.
Iustum; nam indoctis Doctorum scripta negantur,
Nec meritum immerito manat ab Ore Decus.

Hæc dat debita Mens, Nec Amor, nam Plura referret
Cum sit summus Amor, summa negare nequit.

Hos posuit humiles versus in honoris debiti circa huius libri Authorem signû, iurataq; tanquã Præceptoris sui meritissimi & virtute nobilissimi Observantiæ testimonium, Nec non ut Notam si non (ut vellet) insignem satis, verissimã saltem producti Amoris, conseruati & nunquã perituri, quo maximè inter cæteros Amicos amandos & honorandos D. Henricum Grassum huius libri in lucem emergentis fauctorem prosequitur

B. GVERIN Adno, in C. P. P.

ALIVD EPIGRAMMA.

*Aurea Saturni quondam sub sæcla, medenti
Phœbo, par hominum cura, Deumq̃ fuit.
Tristia jam tandem canæ sub lustra senectæ,
Vix potis in nostros lumina ferre Lares:
Dum medijs antiqua silent Oracula Delphis,
Antraq̃; Cumææ reddere verba negant,
Diuiso imperio, cœlestia curat Apollo,
Ranchinus reliquo Sol nouus orbe nitet.
Humilis alumnus
EL. CHARONVS BERG. M. D.*

ALIVD.

*Hippocrates Medicū sua Phœbum Numina jurat,
Ranchinus magnum jurat & Hippocratem.
Grassus Ranchinum : Hippocrati nam quantus
Apollo est,
Grasso Ranchinus tantus. VTERQVE DEVS.
IOACH. BONETVS Matisc. Med. Bacc.*

ALIVD.

*Dum quis Apollineas ambit decerpere baccas
Sumpturus letâ præmia prima manu.
Ius tibi iuratos sacratam ἱγείας ad aram*

Philiatros pura sistere mente datur.
Cur igitur dio Phæbi perculsus honore,
Nunc cupis obstrictam rursus habere fidem?
Philiatri haud Phœbum, Medica aut mysteria iurant,
Sed se euecturos nomen ad Astra tuum.

H. FURNIVS Blasensis, Med. Baccal.

ALIVD.

Quid mihi Cecropiæ referunt sua facta Camœnæ,
Quid varia affectus laude Galenus ouat?
Quid Celsum Romana Cohors? quid Gallia jactat
Fernelium? Medici lumina rara chori.
Gloria Ranchini Cunctos præstringit in Arte
Iatricâ, huic Phæbi proluit ora latex:
Hippocratis genius verè est, procul ergo faceffant
Celsus, Fernelius, tuque Galene, vale.

ISAACVS LAVERNIYS Nerac. Med. Baccal.

Aliud ἐγκωμιαστικὸν ἐπιγρᾶμμα.

Dimissam HYGEIÆ spernebant numina terram,
Cumq; suo fuerant Patre recepta Polo,
Nec creditum poterat tentare hac cui Dea, templum
Nullum, nulla domus qua frueretur, erat;
Ipse donec proprijs Ranchinus sumptibus Aedes
Construxit, Regis munera digna viri,
Instituitq; Deæ vatium collegia, lectis

Se inter Biffenos prasde flaminibus ,
 Et veneranda sequens Coi praecepta magistri,
 Sacrata Leges tradidit Iatriæ.
 Hæc ubi de summi prospexit vertice cœli
 Phœbus, ait, patrios nunc cole Nata lares
 Ranchinoque locū cede, hoc quid Iustino? huic quàm
 Qui dat Tempia solo, reddere Tempia polo?

Iura dabat quondam populus rex Numa Quirini
 Quæ sibi donarat numen Iphigenia,
 Dumque aperit prudens accepta oracula Legum
 Partitur geminum Numinis ipse decus.
 Sic tu Grasse facis sacramenta hæc sacra recludens
 Ranchinus Medico quæ dedit ex tripode:
 Namque utriusque labor cum sit par, sic Decus, unde
 Gloria quanta sua est, Gloria tanta tua est.

GVILLELMVS GALTEKIVS sanct-
 Affricanus Vabrensis Med. Baccal.

Εἰς ΣΤΙΓΓΑΜΜΑ ΚΤΡΙΟΥ ΠΑΝΧΙΝΟΥ
 Εἰς ἄκρον τῆς ἱατρικῆς, καὶ ἀπασων διδασκαλῶν
 ἐληλαπότῃ ἐπὶ χαριστικόν.

Εἰς ὅς σοφίης γνῶναι δαδάλματα πολλὰ
 Πρόφρων τὴν ἡεῖλον πρόσλαβε χερσὶν εἰς.
 Εἰ πρότερον τ' ἀκίχῃτα φρονεῖν, ἄρρητα νοῆσαι.
 Τὸν δὲ, ποθεῖς, δέλτον πρόσλαβε χερσὶν εἰς.

Ανδάνη Ἰπποκράτῃ Φωτιῶνι ἱερῷ ὄρκῳ
Δεῦτ' ἄρα, γράμμα παρὸν, πρόσλαβε χερσὶν ἑαῖς.
Εὐλογίῃ Φιλέης, ἥδ' ἱατρὸν ἐξοχὸν ἁλλῶν
Εἶναι; Ραγχίνῃ πρόσλαβε γράμμα νόῳ.

Ταῦτα προσέθηκεν Ἰωάννης ὁ Παῖς Φιλίατῳ
ἀενάῃς τιμῆς καὶ ὑπερβασίας χάριν.

* *

Εἰς ὑπομνήματα ἱατρικὰ Κυρίῃ Ραγχίνῃ, καὶ ταῦτ'
ἐκδιδόντα Κύριον Γράστον.

Ρίζα πλεῖστα γόνες πλάσων, μείζω δὲ δώκας
Ἡ βίον, ἥ λαμπρὸν τοῖσι γόνουσι φάος;
Ταῦτα δὲ Ραγχίνῳ τέλεισας συγγράμματ' ἔπραξε
Πλεῖστε, συνὺν πλείῳ Γράστ' ἄρα φῶτε διδύς.

EIVSDEM ὀγδοεστίχον.

Eia age Pieridum dulcissime alumne Sororum,
Insere flammifero iam tua signa polo:
Gloria Ranchini nam te super aethera notum
Efficit, ut columen, Castalidumque decus.
Eruis e tenebris saturatas pulvere chartas
Atque iubes nitidum Solis adire iubar:
Ergo Ranchinus dum vivet Grassus in illo
Vivet, in aeternum, nec morietur opus.

I. G A I V S Bearnensis, Φιλιάτῳ.



A MONSIEVR GRAS,
CONTRE L'ENVIEUX ZOILE.

I. B. D. M.

S'il arriuoit qu'un iour la monstrueuse Enuie
Abboyat à l'honneur de ton rare sçauoir,
Tu t'en rirois: car quand elle est plus ennemie,
C'est lors qu'elle la vertu paroist plus de pouuoir.

En vain contre la Lune abboya le mastin,
Qui pensoit de ses rays tirer vne partie:
Le mesme t'aduiëdra, Boute-feu plein d'enuie,
Car abboyant ainsi, tu perdras ton Latin.



2.
M. B. Miner
IN
HIPPOCRATIS
IVSIVRANDVM;
Subtilissimi D. Domini
FRANCISCI RANCHINI
Vniuersitatis Monspeliensis
Professoris & Cancellarij
amplissimi,
COMMENTARIVS.





ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ ΚΩΟΥ ΟΡΚΟΣ.



ΜΝΗΜΙ Απόλλωνα ἰητρὸν, καὶ Ασκληπιόν, καὶ Ὑγίαν, καὶ Πανάκειαν, καὶ θεὰς Πάντας καὶ Πάσας, ἱσθρας ποίευν, ἐπιελεία ποιήσιν καλὰ δύναμιν καὶ κρίσιν ἐμὴν, ὅρκου τόνδε καὶ συγγραφὴν τήνδε.

Ἠγήσασθ' ὅτι διδάξαί με τὴν τέχνην ἰατρικῇ, ἵσα γενέτησιν ἐμοῖσιν, καὶ βίβ' κοινώσασθ', καὶ χρεῶν χρηρίζοντι μετ' αὐτοῖσιν ποιήσασθαι, καὶ γέν' τὸ ἐξ ἐωυτῆς, ἀδελφοῖς ἴσον ἱππικρίναν ἄρρεσι, καὶ διδάξαι τὴν τέχνην ἑαυτῷ, ἣν χρηρίζωσι μαθητάν, ἀνευ μισθοῦ καὶ συγγραφῆς.

Παραγγελίης τε καὶ ἀκροήσεως, καὶ τῆς λοιπῆς ἀπάσης μαθήσεως, μετ' αὐτοῖσιν ποιήσασθαι ἡμῖσι τε ἐμοῖσι, καὶ τοῖσι ὅσοις ἐμὲ διδάξαντι, καὶ μαθηταῖσι συγγεγραμμένοις τε, καὶ ὠρκισμένοις νόμῳ ἱητρικῷ, ἄλλω ᾧ ἔδεν.

Διαλήμασί τε χρηίσσεται, ἐπ' ὠφελείῃ καμνόντων.



HIPPOCRATIS COI IUSIURANDVM.

PER APOLLINEM MEDICVM,
& ÆSCVLAPIVM, Hygeamque & Pa-
naceam iureiurando affirmo, & Deos Deas-
que omnes testor, me, quantum viribus & iudicio va-
luero, quod nunc Iuro, & ex scripto spondeo, planè ob-
seruaturum.

Præceptorem quidem, qui me hanc Artem edocuit,
Parentum loco habiturum, eiq; cum ad victum, tum
etiam ad vsum necessaria, grato animo communicaturū,
& suppeditaturum. Eiusque posteros apud me eodem loco
quo germanos fratres fore, eosque si hanc Artem ediscere
volent, absq; mercede & synographa edocturum.

Præceptionum quoque & auditionum, totiusque re-
liquæ disciplinæ, cum meos, & eius qui me edocuit libe-
ros tum discipulos, qui Medico Iureiurando nomen fi-
demque dederint participes facturum, aliorum præterea
neminem.

Victus quoque rationem quantum facultate, & iu-

A 2

⁴
καί τ' αὖ δύνάμιν καὶ κρίσιν ἐμήν, ἐπὶ δηλήσει τ' καὶ
ἀδικίῃ ἄρξεν.

οὐ δώσω τ' ἐδ' ἐφάρμακον ἔδενι αἰτ' ἡθῆς, θανά-
σιμον, ἔδ' ἐυφηγήσομαι ξυμβεβίωτοιήνδε.

ὁμοίως τ' ἐδ' ἐγυναικὶ πρὸς ὄν φθόρον δώσω,
ἀγνώστ' ἢ καὶ ὁσίως διαλήρῃσω βίον τ' ἐμόν, καὶ τέχ-
νῃ τὴν ἐμήν.

ὁυτε μὲν τ' ἐδ' ἐμὴν λιθιῶντας, ἐκχωρήσω τ' ἐρ-
γάτησιν ἀνδράσι περὶ τῆςδε.

εἰς οἰκίας τ' ὁκοσας ἄν ἐσίω, ἐσελεύσομαι ἐπ' ὤ-
φελει καμνόντων, ἐκλὸς ἐὼν πάσης ἀδικίης ἐκείνης
καὶ φθορίης τ' τε ἄλλης, καὶ ἀφροδισίων ἔργων, ὅππῃ
τε γυναικείων σωμαμάτων, καὶ ἀνδρώων, ἐλευθέρων τε
καὶ δούλων.

Ἄδ' ἂν ἐν θεραπείῃ ἡ ἴδω, ἡ ἀκῆσω, ἡ καὶ ἄνευ
θεραπείης κατὰ βίον ἀνθρώπων, ἃ μὴ χρεὶ ποιεῖ
ἐκλαλέεσθαι ἔξω, συγῆσομαι, ἃ ῥέηλα ἡγεύμεθα
εἶναι ταῖσι αὐτοῖς.

ὅρκον μὲν ἔν τόνδε ὅππῃ ἐλέα ποιέοντι καὶ μὴ ξυγ-
χέοντι, εἴη ἐπ' αὐραδαί, καὶ βίῃ καὶ τέχνῃ, διοξαζο-
μένῳ παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις, εἰς τὸν αἰὲν χρόνον,
παρεβαλλόντι τ' καὶ ὅππῃ πορκοῦντι, τ' ἀναντία ἱετέων.



dicio consequi potero, aegris utilem me prescripturum,
eosque ab omni noxia, & iniuria vindicaturum.

Neque cuiusquam precibus adductus alicui medica-
mentum lethale propinabo, neque huius rei author ero.

Neque similiratione mulieri pessum subdititium ad fœ-
tum corrupendum exhibebo: sed castam, & ab omni scelere
puram, tum Vitam, tum Artem meam perpetuò præstabo.

Neque verò Calculo laborantes secabo, sed magistris
eius Artis peritis id muneris concedam.

In quamcumque autem domum ingressus fuero, ad egro-
tantium salutem ingrediar, omnem iniuria inferendam,
& corruptelam suspicionem procul fugiens, tum vel maxi-
mè rerum Venerearum cupiditatem, erga mulieres iuxta
ac viros tum ingenuos tum seruos.

Quæ verò inter cavandum, aut etiam Medicinam
minimè faciens, in communi hominum vita vel videro,
vel audiero, quæ minimè in vulgus effferri oporteat, ea ar-
cana esse ratus, silebo.

Hoc igitur Iusiurandum si religiosè observaro, ac
minimè irritum fecero, mihi liceat cum summa apud
omnes existimatione perpetuò vitam felicem degere, &
Artis vberimum fructum percipere. Quod si illud vio-
lauero, & peierauero, contraria mihi contingant.



P R Æ F A T I O .

MIRABITVR fortassis aliquis vestrum (STVDIOSI AUDITORES) quod iam, dum in ardentissimis Aestatis feruoribus Musæ silentes, Cereri & Baccho indulgere videntur; dum reliqui Æsculapij Mystæ & Sacerdotes, peracto studiorum annuo curriculo, in hoc angustissimo Apollinis Templo quiescentes, iucundissimo festorum otio fruuntur; solus ego Aestatis ardore inflammatus, Cicadarum more, quæ non nisi in flagranti æstu canūt, audeam canere, vosque præteritorum laborum, & studiorum frequentia fatigatos à molli & placido otio reuocare, non erubescam. Verum audiant, qui talia audent, & faueant tum studijs, tum desiderijs meis: atque sciant me eo semper genio, & ingenio fuisse, ut malim aliquid agere & docere, quàm in otij & silentij castris feriari & delitescere. Absentiæ otij, præsentis negotio compensare, non solum iustū,

7

sed etiā vtile duxi. Quinimò fas esse existimaui in
hoc Apollinis Musæo Musis operari, præsertim
feriatos à cæteris rebus & à vitæ victusque curis
vacuos. Intermisio studiorum potius voluntaria,
quā necessaria est, cum semper bene agere liceat.
Miles igitur castra, aut prælia loquatur, rusti-
cus agros & segetes: hæc mea castra sunt, hic ager
quem colo: hic continua, & gloriæ, & doctrinæ se-
ges, cuius fructus semper studiosis metere per me
licebit. Ne tamē lectionum importunitate, vna cū
temporis ardore patientiā vestrā abuti videar:
Apollinis cōstitutiones in Iurciurādo Hipp. cōten-
tas, matutinis tantum horis, quod Musis magis
favere videantur, explicabo, Aristotelis exemplo
impulsus, qui matutinā deambulatione auditoribus
secretiores & grauiores doctrinas exponere so-
lebat, vespertinā leuiiores. Agedum igitur, rumpā-
mus moras, atque ab otij & silentij castris egre-
diamur. QVOD FELIX, FAVSTVMQVE
SIT; Adeste animis, qui adestis corporibus: Et
ad ea, quæ ad Iurisiurandi Hippocratici illu-
strationem dicturi sumus, diligenter si placet
attendite.



DE ORDINE

istius commentarij.

VT ORDO est Anima Naturæ, in illius operibus: sic idem Natura Doctrinæ in scientijs meritò dici debet. Tanta siquidem est illius necessitas, atque præstantia, tum in rerum naturâ, tum in doctrinâ scientiarum, ut Entia non ordinata, non Entia appellarit Plato. Omnia quæ naturâ consistunt, quodam ordine disponuntur, 8. Physic. Sic in Sciētijs Doctrina Naturam imitatur. Cognoscibilium multitudo ordinis necessitatem parit, idque ad memoriæ & intelligētiæ facilitatem: quæ enim ordine se habent, innato symbolo sese respiciunt: Et cum in symbolum habentibus facilis sit transitus, hinc fit ut memoria humana facilius transeat ab vno in alterū, ordinis ministerio. Omnia igitur cum ordine meditari & perficere debet sapiēs. Quare ne in elucidatione Iurisiuradi Hipp. temerè vagari videamur, ordini cuidam insistendum erit. Libri itaque titulum in quo subiectum continetur

netur examinabimus primùm, deinde librum in duas partes diuidemus; Tertiò singula, quæ in singulis partibus continebuntur, accuratè illustrabimus. In libri facie quæ titulum præ se fert, duo sese offerunt explicanda, Authoris celebritas, & Iurisiurandi natura atque necessitas in Medicinâ ediscendâ, edocendâ & exercendâ. Agamus itaque primò,

De Hippocrate.

DAMOXYENVS Poëta Comicus cùm de Co insula ita loquitur, θεὸς γὰρ φάινεται ἢ νῆσῳ φέρειν, videtur homines Coos, Deos appellare, qui virtute sua cælum sibi aperuerunt: sic propter Bacchum & Herculem dictæ olim Thebæ θεὸς φέρειν. Claudij tēpore immunitas Cois data fuit, & insula Cos tanquam sacra, & Dei ministra culta, tum quòd Argiui cum Latonæ parente fuissent vetustissimi insulæ cultores; tum quòd aduentu Æsculapij, Ars Medendi illata, & inter posteros postea maximè celebris fuerit, vt testatur Corn. Tacit. lib. 12. *Annal.* Con etiâ insulâ magnos aliquot tulisse viros, testatur historia; Natus ibi Ptolomæus Philadelphus,

B

IO IN HIPPOCR. IUSIVRANDVM
 immortalī memoria princeps dignissimus, Xe-
 nophon Socraticus, de quo Laertius ex eadem
 insula ortus, alique celebres viri: Cōs etiam
 Hippocrates noster, qui vir si quis vnquam
 mortalium, veteri dicto fidem fecit, Homo
 HOMINI DEVS. Antiquitas *ἱερωτάτου* diui-
 num virum appellabat, quòd non arte, atque
 industria homines sanaret sed fauore numi-
 nis. Galenus Hippocratis verba tanquam
 Dei voces veneratur i. de vsu part. c. 9. Passim
 alibi omnium Philosophorum parentem,
 Medicorum omnium primum, omnium bo-
 norum authorem, optimarum disciplinarum
 ducem, virum admirabilem appellat, & lib.
 de opt. secta, Æsculapij gloriam adeptum fuis-
 se testatur. Tanta olim erat diuini istius au-
 thoris celebritas, vt ob augustas & eximias
 animi dotes, & quod Græcos à pestilentia
 sæuitia liberasset, ab Atheniensibus publicis
 honoribus atque muneribus fuerit cohone-
 status, & in Deorum tandem numerum post
 funera allectus. Solus hic noster Hippoc. de
 ignorantia triumphauit, ideoque ab Aristotele
 VERITATIS ET SCIENTIÆ PHILOSOPHVS ap-
 pellatur, ~~ideoque~~ ^{que} ei non vt testi, sed vt demō-
 stratori fidendum esse Gal. affirmavit. Pium
 erat olim in Hippocratis verba iurare, cum

D. FR. RANCHINI COMMENT. II
sua fretus μεγαλοψυχία nec fallere, nec falli
vnquam potuerit. Tanti viri diuinitatem il-
lius monumenta testantur; quæ ac si à Diui-
no promanassent ore ab omnibus Medicis &
Philosophis celebrantur. Nihil temerè aut
perperam scripsit, sed omnia cum breuitate,
grauitate & veritate. Quot syllabæ tot verba,
quot verba, tot oracula. Solus ille Medici-
nam nostram non tantùm oppressam, sed ferè
suppressam, quasi rediuuiam excoluit, illu-
strauit, & in Artem redegit. Offeramus ei
thura tanquam tutelari Medicinæ Deo, &
gallum tanquam nouo Æsculapio sacrifice-
mus: Eique iam in Iurifurandi declaratione
& obseruatione, nomen & fidem dare non ve-
reamur.

*De Iurifurandi Hippocratici utili-
tate, & necessitate, in Medicinâ
ediscendâ, edocendâ, & exercendâ.*

QVEMADMODVM olim (Polybio
teste) Tribuni militum, conscriptos
milites congregabant, Et Sacramento adi-
gebant, obtemperaturos se Imperatoribus
iuxta vires, neque signa deserturos, aut ali-

B 2

quid aduersus populum acturos: iuratos cen-
 surabant, recusantes verò, aut detrectantes,
 bonis & fama tanquam proditores libertatis
 multabant. Sic iam Hippocrates noster tan-
 quam Tribunus Medicorum vel potius vt A-
 pollinis & Æsculapij legatus conscriptos Stu-
 diosos, Iureiurando Medico nomen & fidem
 dare compellit. Iurat ipse primus se præce-
 ptos vt duces & parentes habiturum, Medi-
 cinæ præcepta & mysteria fideliter edocturum
 ægros ab omni iniuria vindicaturum, mor-
 bōs oppugnaturum, & tum vitam tum æta-
 tem ab omni scelere puram conseruaturum:
 iuratos deinde ad militiam Medicam admit-
 tit: Iusiurandum religiosè obseruantibus om-
 nia fausta, omnia prospera exoptat, trans-
 gredientibus contraria deprecatur. Lau-
 dat Gregorius Nazianzenus in oratione
 Cæsarij fratris, Hippocratis institutum, & ad-
 iuratorem appellat. D. Hieronymus Epist.
 2. lib. de vita cleric. circa finem, non solū
 probat Diuini Senis Iusiurandum, sed etiam
 Clericis Religiosis obseruandum proponit. Ad-
 iurat, inquit Hipp. discipulos suos antequam
 doceat. Et in verba sua iurare compellit, ex-
 torquet sacramento silentium, sermonem,
 incesum, habitum, moresque præscribit.

Et quia eiusmodi Iusiurandum ad Artis splendorem facit, ideo in facie operum suorum apposuit Hippoc. secundum Erotianum. Aufpicatur, inquit Scribonius Largus medicus non mediocris famæ, Hippocrates opera sua à Iureiurando, quia æquum erat priusquam Artis mysteria explicaret, ut præformaret animos discipulorum ad humanitatem & mores, legesque componeret in eorum gratiam qui Medicinam profiteri & exercere constituissent, ut ad Artem sanctè & integrè exercendam Iurisiurandi religione tenerentur. Hinc igitur apparet Iurisiurandi Hippocratici utilitas atque necessitas in Medicinâ edificandâ, edocendâ & exercendâ. Verùm ut hæc magis innotescant iam inquirendum,

An Hippocratis Iusiurandum sit iustum & legitimum, & an Medici Christiani ad illius observationem teneantur?

QUÆ Iurisiurandi Hippocratici fidem, veritatem, atque auctoritatem euertere videntur hæc sunt.

B 3

Primum est, Authoris incertitudo, Doctissimus siquidem Mercurialis in censura librorum Hippocratis, Iusiurandum quod sub illius nomine circumfertur, nec ab Hippocrate, nec ab illius discipulis conscriptum fuisse testatur. Ac proinde prout spurium & illegitimum reiiciendum esse affirmat.

Secundū est Idololatriæ ratio, Omne enim Iusiurandum impium damnandū, secundum Theologos, cum non liceat Christianis iurare per falsos Deos: At Hippocrates in hoc suo Iureiurando, per Deos Deasq; omnes iurat, non autem per Deum viuum, inde igitur sequitur Christianos Medicos ad illius obseruationem non teneri.

Tertium est, Iurisconsultorum doctrina: Iusiurandum siquidem simplex, priuatum & quod sine autoritate Magistratus sit, pro publico haberi non potest. Et multò minus ligare poterit posteritatem: Tale est Hippocratis Iusiurandum, motu enim proprio aut ab Hippocrate aut ab alio fuit priuatim scriptum, ideoque in Academijs nec Studiosis, nec Doctoribus obseruandum proponetur.

Quartum est, Si Hippocrates author esset Iurisiurandi nostri, meritò accusandus & damnandus videretur, tanquam violati iuramenti

D. FR. RANCHINI COMMENT. IS
reus : cum libello de natura pueri , doceat qua
ratione honoris gratia liceat abortum prouo-
care , quod est contra legem quintam.

Nos tamen contrà, Iusiurandum Hippocra-
tis iustum & legitimum esse, atque ad illius ob-
seruationem Medicos Christianos teneri af-
firmamus. In hoc consentiunt Medici ferè
omnes iuxta summorum Patrum authorita-
tem & Iudicium, Accedit in subsidium Ratio.
Cum omnia quæ in hoc Iureiurâdo continen-
tur, sint sanctè , piè , & secūdum leges , ac bo-
nos mores instituta, & proposita, vt notum est.
Priusquam tamen concludamus , duo nobis
jacienda erunt fundamenta , ad firmandam &
illustrandam Iuramenti Hippocratici autho-
ritatem.

I. FUNDAMENT. Iusiurandum Actio est,
seu Affirmatio religiosa , qua Deum aut sim-
pliciter, aut cum aliqua precatione , in testem
eorum, quæ dicimus aut promittimus, in Iudi-
cio , Veritate, & Iustitiâ inuocamus. Ex hac
definitione apparet duo esse ad Iurisiurandi
perfectionem necessaria ; Vnum est , Deum
inuocare & habere vt testem : In omni siqui-
dem Iureiurando Deum oportet nominare, vt
testem tacitè vel expressè, Qui enim olim iu-
rabant, aut qui iurant, per creaturas, per Deum

16 IN HIPPOCR. IUSIVRANDVM
credendum est eos iurasse tacitè, cùm in illis
fulgeat Dei veritas. Sunt enim creaturæ velu-
ti testes & signaturæ Creatoris.

Secundò: vt Iuramentum sit sanctum & reli-
giosum, debet Primò Verū esse, cū ad Veritatis
confirmationem sit institutum, Secundò, Iustū
id est, pro rebus æquis & iustis, Tertiò, non
temerariū, sed cum iudicio, pro re graui, & ad
commodum proximi; quia vivit Deus in ve-
ritate, in æquitate & in iudicio.

II. FVNDAMENT. Iusiurandū Hippocr. licet
videatur priuatum, tamen pro publico & iudi-
ciali haberi debet, Primò, quia ad Artis splen-
dorē facit, Secundò, quia syngraphā cōfirma-
tum, & posteritati commēdatum, Tertiò, quia
in commodū Reipublicæ fuit institutum, ad
coercēdam scilicet Medicorum negligētiā,
& malitiā, & ignorantiam. Illius necessita-
tem, Legum æquitas demōstrat, perfectionem
diuisio, cum iuramenti differētiis complectā-
tur: Est siquidem assertoriū, quia affirmat Hip-
pocrates. Est secundò promissorium, quia pol-
licetur se observaturū. Est tertiò execratoriū,
quia Deo vltori & vindici sese subijcit, vt olim
milites, qui in nomen Imperatoris iurantes,
gladios admovebant ceruicibus, diris sese exe-
crationibus deuouentes.

CON-

CONCLUSIO. His jactis fundamentis, Opus est vt Concludamus Hippocratis Iururādum iustum & legitimū esse, atq; ad illius obseruationem Christianos Medicos teneri. Superest iam vt contrarijs obiectionibus satisfaciamus.

SOLVTIONES. Ad primam, Respondemus cum Suida, & alijs doctissimis Medicis, Iururandum, quod sub Hippocratis nomine circūfertur fuisse reuera ab hippoc. conscriptū, atq; hac in parte cogimur à Mercurialis iudicio recedere, fallitur siquidem doctissimus ille vir in sua ratiocinatione; agnoscit enim præcepta legalia, traditione potuisse prouenire ab Hippocrate, non tamen librū esse Hippocratis, quod à Galeno non citetur: & quāuis non esset hippocraticus, existimamus nos Hipp. dignū cense-
 ri posse & debere, cū omnia quæ in eo cōtinentur, sanctè & iustè appareant instituta.

Ad Secundam dicimus, immutari posse adiurationis formulam, cū non liceat Christianis per falsos Deos iurare nec propterea accusandus Hippocr. cū per Deos sibi cognitos iurauerit: Tenentur siquidem Christiani, ex Theologorum doctrinā credere infidelibus, quando iurant per falsos Deos cum pro veris Dijs apud eos habeantur. Quinimò ex Diuo Augustino, minus malum est, iurare per falsos

C

Deos veraciter, quàm per Deû verû fallaciter.

t. Ad Tertiam patet solutio, ex secundo fun-
damento: tenentur enim Medici non-solum
iure obedientiæ, sed etiam formidine pœnæ,
g. ad obseruationem; licet non proponatur in
c. Academijs obseruandum.

Postremò, ad Quartæ obiectionis satisfac-
tionem, pollicemur, nos in examine Quintæ
Legis, Quæstionē, An liceat Medicis φάρμακα
medicamenta præscribere copiosè esse exami-
natos.

Atque hæc in gratiam veritatis ad Iurisu-
randi authoritatem firmandam dicta sufficiât.

Diuisio Iurisiurandi.

D E M O N S T R A T A Iurisiuradi Hippocr.
utilitate, & necessitate, postulat iam or-
dinis & doctrinæ ratio vt ad illius diuisionem
veniamus. Diuidi autem meo quidē iudicio
potest in tres partes: In Adiuratoriam, Lega-
lem, & Execratoriam.

Prima continet adiurationem cum promif-
sione: iurat siquidem Hippocrates per Deos
Deasq; omnes, & pollicetur se fideliter obser-
naturum sua statuta.

In secundâ, leges seu constitutiones Medi-

cas proponit quæ octo sunt : Prima est de gratitudine discipulorum, non solum erga præceptores, sed etiam erga eorum filios: Secunda tractat de officio, & fidelitate præceptorum, erga discipulos iuratos & conscriptos; Tertia docet, quomodo Medici ægris victus ratione conuenienter præscribere debeant, eosq; ab omni noxiâ & iniuriâ vindicare. Quarta, venenorum vsum & abusum prohibet; cû Medicina Ars sit sanandi non necandi, aut nocendi: omnib⁹ enim æqualiter se profuturum nulliq; vnquam nociturum pollicetur. Quinta vetat ne *φθόρα* seu abortiua & corrumpentia Medicamēta præscribant Medici, sed vt integram & ab omni scelere puram vitam conseruent. Sexta, de secandis Calculo laborantibus tractat, cuius quidem operationis munus, operatoribus & magistris committit. Septima castitatem vitæ & puritatem Medicorum laudat, & omnem inferendæ iniuriæ & corruptelæ suspicionem fugiendam esse declarat. Octaua silentium commendat, Et quomodo quæ inter curandum vel aliter audiuntur & sciuntur, quæ in vulgus efferri non oporteat, silere debeant Medici, docet.

Tertia pars execratoria est: dum inquit Hippocrates, Si iusiurandum religiosè obserua-

uero , mihi liceat cum summo apud omnes honore perpetuo vitam fœlicem degere , & Artis vberimum fructum percipere : quòd si illud violauero, contraria mihi contingant.

Prima pars Jurisurandi Hippocratici. Quæ adiurationem & promissionem continet.

Ο ΜΝΥΜΙ Α πόλωνα ιητρών, καὶ Ασκληπιόν, καὶ Τυγείαν, καὶ Πανάκειαν, καὶ Θεὸς πάντας καὶ πάσας, ἱσθρας ποιεύμενός, ἐπιελέα ποιήσαι κατὰ δύναμιν καὶ κρίσιν ἐμήν, ὅρκον τόνδε καὶ ξυγγραφὴν τήνδε.

PER APOLLINEM MEDICVM & ÆSCVLAPIVM, Hygæamq; ac Panaceam iuro : & Deos Deasq; omnes testor, me, quantum viribus & Iudicio valuerò, quod ex scripto spondeo, planè obseruaturum.

PRÆMISSA jam libri nostri diuisione ad explicationem partium conuertenda nunc est oratio. Prima pars quæ adiurationem continet ita solemnis est, vt non-solum Medicinæ aucthores, Apollinem & Æsculapium, & Æsculapij filias Hygæam & Panaceam, sed etiam Deos Deasque omnes adiuret, quod fecit Hip-

pocrates, ut posteritas Medicorum propter interiectam Deorum Dearumque authoritatem, de necessitate legum & veritate promissorum non dubitaret.

De Apolline.

IVRAT Imprimis Hippocrates per Apollinem Iouis & Latonæ filium, tanquam per Medicinæ Deum & inuentorem, iuxta Ovidium:

Inuentum Medicina meum est, opifexq; per orbem

Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

Et Callimachus de Apolline tractans.

Ex illo (inquit) didicerunt funera primum

Differre, & gelidæ vitare pericula mortis.

De Æsculapio.

SECUNDO jurat Hippocrates per Æsculapium, omnium filiorum Apollinis celeberrimum, Chironis in Arte Medicâ discipulum. De Æsculapio ita loquitur Homerus,

Est Medicus prudens cunctis præstantior unus

Ille viris, cui Pæoniæ sit gentis origo.

Æsculapium celebrauit antiquitas, Templaq; varia Æsculapio consecrauit, eo quod non

solum homines sanos conseruaret & ægrotantes à morbis liberaret ; moribundos ab Orci faucibus eriperet : sed etiam quod demortuos per Medendi peritiam in vitam reuocaret, unde à Plutone in jus vocatum apud Iouem fabulantur Poëtæ, quòd suum imperiũ exinani-
ret reuocando animas ab Orco, & ideo fulmine tactum & percussum ferunt.

De Hygiea.

TERTIO per Hygiæam iurat noster Hippocrates, quam quidem vel vt Æsculapij & Mineruæ filiam vel vt eiusdem uxorem agnoscere licet iuxta Orpheum;

*Stirps Phæbi præclara, thori cui splendida consors
Est Hygiea, grauis morborum pulsor & hostis.*

De Panacea.

QUARTO Panaceam inuocat Hippocrates : Plinius cap. 4. lib. 25. & cap. 11. lib. 35. Panaceam agnoscit tanquam Æsculapij filiam, vt & Hygiæam. Alij per Panaceam audiunt Medicamenta Salutaria, solemnia, & vniuersalia, vt Antidota, Theriacam, My-
thridatium, iuxta Gal. Panaces enim ipso no-

D. FR. RANCHINI COMMENT. 23
mine, omnium morborum remedia proponit.
Sed iam accuratiùs explicandum est,

*Quid per Apollinem, Æsculapium,
Hygiam, & Panaceam au-
diendum sit.*

IAM quia fabulæ (secundùm mythologos)
quæ de dijs ab antiquis finguntur ad rerum
naturalium considerationem referri possunt,
& moraliter varia significant, ideo nunc bre-
uiter explicandum quid per Apollinem, per
Æsculapium, per Hygiam, & per Panaceam
audiendum sit. Apollo Solem significat, Æs-
culapius aërem, Hygia sanitatem, Panacea
Medicamenta, quæ omnia sese inuicem con-
sequuntur vt postea demonstrabitur. Apolli-
nem imprimis non Deum quendam designa-
re, sed oculum & cor mundi Solem scilicet
declarat Cicero, tertio de nat. Deor. Cum
enim sit generationis & corruptionis rerum
primarius author ex Philosopho, pestis & fa-
lutis solus opifex: Cum in Symmetriâ caloris
cœlestis vniuersa animantium vita contineat-
tur, cùm plantarum & mineralium vires à So-
le influant, cùm illius accessu omnia reuiuif-

24 IN HIPPOCR. IUSIVRANDVM
cant & floreat, contrà in recessu omnia lan-
gueant & contabescant: hinc fit vt merito Sol
tanquam Medicinæ Deus & parens agnosci
debeat.

Secundò Æsculapius aërem denotat, cuius
quidem puritas & salubritas à Sole dependet,
cum & Elementis, & Mixtis prædominetur.
Ab aëris autem salubritate, id est, ab Æscula-
pio, Hygiæ, id est, bona valetudo promanat
iuxta Hippocratē, QVALIS AER, TALIS SPI-
RITVS, TALES HVMORES TALE ET VNIVERSVM
CORPVS. Quod si Sanitas alteretur tūc ad Pa-
naceam cōfugiendum, id est ad Medicamenta
tanquā ad salutare Deorū manus. Iam igitur
siue iuret Hippocrates per Deos Deasque Me-
dicinæ, siue per Solem, per Aërem, per Sani-
tatem, per Remedia, nihil interest.

*Secunda pars Iurisiurandi, quæ Leges
& Regulas Apollinares
continet.*

SECUNDA Iurisiurandi pars, Leges seu Re-
gulas continet, quas Hippocrates in Me-
dicinā ediscendā, edocendā & exercendā ob-
seruatione dignas & necessarias existimauit.
Multæ

Multæ aliæ (fateor) superaddi possent : sed quia quæ ab Hippocrate proponuntur, Artis nostræ mysteria præcipua continent, ideo nobis sufficient.

PRIMA LEX.

De Discipulorū erga Præceptores observantiā & gratitudinē.

ΗΓΗΣΑΣΤΑΙ μὲν διδάξαί με τὴν τέχνην ἑαυτοῦ, ὅσα γενέτησιν ἐμοῖσιν, καὶ βίᾳ κοινώσασι, καὶ χρεῶν χρηρίζοντι μετὰ δόσιν ποιησάσθαι, καὶ γένῃ τὸ ἐξ ἐωυτοῦ, ἀδελφοῖς ἴσον ὑπεκρίνειν ἀλλήλοις, καὶ διδάξαι τὴν τέχνην ἑαυτοῦ, ἣν χρηρίζωσι μανθάνειν, ἀνευ μισθοῦ καὶ συγγραφῆς.

PRÆCEPTOREM quidem, qui me hanc Artem edocuit, Parentum loco habiturum, eiq. cum ad victum, tum etiam ad usum necessaria,trato animo communicaturum, & suppeditaturum. Eiusque posterorū apud me eodem loco quo germanos fratres fore, eosque si hanc Artem ediscere volent, absque mercede & syngrapha edoctrum.

PRIMÆ LEGIS ILLUSTRATIO.

In hac primâ Lege, lucet Hippocratis pietas & gratitudo non solum erga præceptores, sed etiā erga præceptorum filios. Præceptorem qui me

D

hanc artem edocuit, parentum loco habiturū, eiq; cum ad victū, tum etiam ad vsum necessaria grato animo communicaturum spondeo. Et meritò sanè, nulla enim tam insignis tamque execranda ingratitude, quàm quæ erga parentes & præceptores exerceri solet.

Legis istius æquitatem iam ratione & exēplis illustrare placet. Ratione imprimis. Cū enim nihil sit in homine, Scientiā illustrius, nihil rerum experiētiā perfectius, vtriusque siquidem gratia homines & à brutis, & ab ignaris distinguuntur, sanè merito honore & muneribus prosequendi, qui Scientiarum arcana & mysteria explicāt. Quinimò cum inter Scientias, ea, quæ ad humanæ salutis cōseruationem instituta est, cæteris dignitate & necessitate præfulgeat, sanè professores Medici maiorem gloriam, maioraque commoda demereri videntur apud eos quos edocent, quàm aliarum Scientiarum duces & magistri, ideo olim annonaria commoda à populo accipiebant Medici, tum ratione publicæ salutis, tum maxime quod Medicinam edocerent. Exempla deinde Legis iustitiam illustrant. Primò damnat antiquitas Neronis impietatem & ingratitudinem erga præceptorem suum Senecam. Secundò Periclis negligentiam erga Anaxa-

goram ad extremum senium deductum & inedia vitam finientem. Et Philologi proditorem erga Ciceronem præceptorem in periculis versantem, in loco secreto latitantem tempore Triumviratûs. Contra multorû illustrium virorum gratitudo erga præceptores laudatur, ut Critonis erga Socratem, qui nunquam aliquid ex his quæ sunt ad vitam necessaria, ipsi deesse passus est. Alexandri etiam qui plus se debere Aristoteli præceptori quàm Patri ingenuè profitebatur. Necnon Aristotelis ipse, quod Platoni aram in Templo construxerit statuamque consecrauerit. Addamus, Aurelium Antoninum tanto amore prosequutum esse Frōtonem præceptorem suû ut ei statuam à Senatu impetrauerit. Illustre habemus etiam gratitudinis exēplum apud Homerum, Achilles siquidem Phœnicē præceptorem ab Agamemnone Legatum missum adeo honorificè tractauit, ut & ei dimidium Regni detulerit & dimidio honoris sui frui voluerit. Olim apud Græcos ut obseruat Athenæus lib 10. discipuli Dijs primùm, deinde præceptoribus bene precati libare solebant in conuiujs. Iam igitur tantorum virorum exemplis confirmata remanet Hippocratis lex prima. Sed ut gratitudinis testimonium illustrius reddat erga præcepto-

res, posteros eorum, ut germanos dilecturum & absque mercede Artem edocturum pollicetur: quia tam augustum tamque insigne est præceptorum erga discipulos beneficium, ut continuam gratiam & beneficentiam erga posteritatem demereatur.

SECUNDA LEX.

De officio Præceptorum erga Discipulos.

ΠΑΡΑΓΓΕΛΙΗΣ τὴ καὶ ἀκροήσι, καὶ τῇ λοιπῇ ἀπάσῃ μαθήσει, μέλαδοςιν ποιήσασθαι ὑοῖσι τε ἐμοῖσι, καὶ τοῖσι ἑ ἐμὲ διδάξαι, καὶ μαθηταῖσι συγγεγραμμένοις τε, καὶ ὠφεισμένοις νόμῳ ἱππικῷ, ἄλλω ᾧ ἐδενί.

PRÆCEPTIONVM quoque & auditionum, totiusque reliquæ disciplina, cum meos, & eius qui me edocuit liberos tum discipulos, qui Medico Iure iurando nomen fidemque dederint participes facturum, aliorum præterea neminem.

SECUNDÆ LEGIS ILLUSTRATIO.

IN hæc secundâ Lege proponit Hippocrates præceptorum erga discipulos officium, dum pollicetur se discipulis iuratis & conscriptis, fideliter & diligenter Artis præcepta & mysteria, quæ tum in Theoria, tum in Praxi continentur, explicaturum: non autem alijs qui Me-

dico Iurijurando nomen & fidem non dederint: Iuxta Orpheum qui initio Poëmatis sui, prophanos ab intelligentia arcet, *Loquar (inquit) quibus fas est , fores claudite prophani omnes.*

Legis istius vtilitatem & necessitatem, eiusdem dissipatio manifestè demonstrat : Nam Medicina , quæ olim inter secretiores magisq; Cabalisticas doctrinas habebatur, nunc plebeia & vulgaris reddita est. Iam quot homines, quot mulieres , tot Medici. Deploranda sanè Artis nostræ conditio cum Medici non solum sub Chirurgorum & Pharmacopæorum tutelâ, sed etiam sub Muliercularum, Empiricorû, & Seplasiariorum Imperio vivere cogantur.

Apud Ægyptios olim, Persarum & Chaldaeorum Magos & Sacerdotes moris erat, doctrinas nulli ex plebe communicare : sed in arcanis seruare, aut siquid scriptis mandarent, ea Ænygmatum & fabularum specie velare, ideoq; Plato postea, ad occultanda scientiarum arcana, ænygmaticè scribendum & loquendum esse affirmavit. O vtinam hunc docendi, scribendi loquendiq; morem obseruarèt Medici, vt religiosè obseruant nunc Chymistæ. Obscuritas scriptis dictisq; inspergenda, sepiarum more, quæ ne videantur à piscatoribus , atramentum aspergunt. Damnandi sanè qui scien-

30 IN HIPPOCR. IUSVRANDVM
 tiarum, potissimumq; Medicinæ mysteria &
 arcana promulgare solent, præsertim si fuerint
 Medici. Olim Hipparchus viuo adhuc Py-
 thagora eius arcana reuelauit, eamq; ob rem à
 schola eiectus est in eiúsque locum immobilis
 columna erecta, quæ esset silentij signum.
 Quanto magis in Arte nostrâ silentium illud
 obseruandum, cum de publicâ salute agatur.
 Iam igitur Hippocratis iuramento admoniti
 contineamus nos in silentij castris, nec Mulier-
 culis aut alijs, sed iuratis & conscriptis tantum
 Artis nostræ mysteria aperiamus.

TERTIA LEX.

De officio Medicorū in præscribendâ victûs ratione.

ΔΙΑΙΤΗΜΑΣΙ Τε χρῆσομαι, ἐπ' ὠφελείῃ
 καμνόντων κατὰ δύναμιν καὶ κρίσιν ἐμήν, ἐπὶ
 δὴλήσει δὲ καὶ ἀδίκῃ εἰρξεν.

VICTVS quoque rationem, quantum facultate
 & Iudicio consequi potero, ægris utilem me præ-
 scripturū: eosq; ab omni noxiâ & iniuriâ vindicaturū.

TERTIÆ LEGIS ILLUSTRATIO.

IAM in tertiâ hac Lege, De officio Medi-
 corū erga ægrotantes tractat hippocrates, cum

pollicetur se vtilem & conuenientem diætā aëgris præscripturum, eosque ab omni noxiâ & iniuriâ vindicaturum. Legis istius æquitas & necessitas non solum ad ægrorum salutem referenda, cum præcipua curationis morborum spes à conuenienti victûs ratione dependeat, ex Hippocr. & Gal. sed etiam ad Medicorum dignitatem & integritatem, quo sanctiùs Medicinam tractent, dū^m promittit Hipp. se victûs rationem improbam, & perniciosam euitaturum & ab omni maleficio & improbitate temperaturum.

OBSErvANDVM autem hic Diætæ nomine non audire Hippocratem remediorum sudorificorum vsum: sed vel generale rerum sex non naturalium regimen, vel specialem tantum cibi & potus administrationem, hæc enim propriè & strictè Diætā appellatur. Atque huius tres constituuntur differentiæ à Medicis: Plena scilicet, quæ liberaliori viuendi ratione corpora Sanorum conseruat & adauget: Mediocris quæ paulò restrictiori alimentorū vsum vires tantum sustinet: Et Tenuis, quæ easdem imminuit: atq; huius quatuor sunt gradus; datur enim simpliciter Tenuis diætā, quæ verbi gratia cremoris Prisanæ vsum cōcedit, Secūdo Exquisita, quæ in parciore quantitate eiusdem

partē propinat, tertio Tenuissima, in qua Melicratum datur, ex Gal. & Extrema, in qua abstinētia exacta imperatur.

Porro Hippocrates j. de victus rat. Diætā omnem in quantitate, qualitate, tempore, & vtendi modo versari demonstrat, idq; non solum pro ratione naturarum, ætatū, regionum, tempestatum anni & consuetudinis, sed etiam pro natura, id est, pro substantia & qualitate Alimentorum. Libro verò de Diætā acutorum, præscribendam esse Diætā in ægris, secundum morborum naturam; & secundum varietatem tēporum affirmat: nō enim eadem victus ratio in acutis, quæ in longis affectibus conuenit: nec eadem in principio acutorum quæ in statu, vt exactissimè declarat Hippocrates 1. Aph. 4. 5. 7. 8. 9. 10. & sequentib.

Vnica nunc superest difficultas explicanda ad istius legis intelligentiam. CUR scilicet Hippocrates de Pharmaciā & Chyrurgiā non agat hoc loco, vt de Diætā, cum illa sese consequantur in praxi Medica?

Ad hanc respondendum est, Primò, tantam esse Diætæ necessitatem in morborū curatione, vt ab ea potissimū pēdere existimarit Hippocr. Cum enim NATVRÆ SINT MORBORVM MEDICATRICES 6. epid. Viriū scilicet ministerio.

Et

Et vires ab alimentis liquidis & solidis dependant. Hinc fit ut Hippocrates Diætam convenientem se præscripturum polliceatur primariò, non neglectâ tamen Pharmaciâ & Chirurgiâ, quod tacitè exprimere videtur, cum deinde ægros se ab omni iniuria vindicaturum promittit: cum morbi non nisi Pharmaciâ & Chirurgiâ operâ possint oppugnari.

Secundò, dicendum Hippocratem prohibendo in sequentibus venenata, & malefica medicamenta, salutaria tacitè consulere, cum ad ea sit confugiendum in Therapiâ, tanquam ad salutes Deorum manus. Tentandam tamen semper esse curationem per Diætam vult, priusquàm medicamentis corpora exerceamus, quòd in Curatione benè instituta progrediendum sit ab Alimento ad Medicamentum, & ab hoc ad ferrum, & ad ignem, secundum aph. ult. lib. 7.

Tertiò responderetur. Hippocratem ad coercendam Medicorum negligentiam, de Diætâ potius egisse ex professo, quàm de Pharmaciâ aut Chirurgiâ, quòd Medici potius solliciti sint de præscribendis remedijs Chirurgicis & Pharmaceuticis, quàm de imperanda victûs ratione. Atque hæc ad Tertiæ Legis explicationem sufficiant.

E

QVARTA LEX.

*De Venenarum & Venenatorum usu
& abusu.*

ΟΤ Δώσω ἢ ἐδὲ φάρμακον ἐδὲνὶ αἰτηθεῖς,
θανάσιμον, ἐδὲ ὑψηλόμεναι ξυμβάλω
τοῖσινδε.

NEQUE cuiusquam precibus adductus, alicui
lethale medicamentum propinabo, neque huius
rei author ero.

QVARTÆ LEGIS ILLUSTRATIO.

TRIA sunt quæ legis istius æquitatem demonstrant: Primum est finis Artis, Sanitas scilicet, cum Medicina sit ars iuuandi, non autem nocendi, ars sanandi non necandi. Alterum est Medicorum officium, cum sanitatem conseruare & morbos, hostes humani generis infensissimos profligare debeant, conuenienti vi-ctus ratione & idoneâ Medicamentorum salutarium administratione. Tertium est diuina Lex ad societatis humanæ conseruationem instituta, quæ noxâ arcet, & homicidium prohibet. Hippocrates igitur noster, Artis fine, Medicinæ honore, & gloriâ, officio proprio, & naturæ, atque primæ causæ respectu permo-
tus, iustè & merito pollicetur, se nunquam cu-

iusquam precibus (addamus nos & muneribus) adductum, Medicamenta lethalia propinaturum: formidine etiam poenæ morus, se eius rei nunquam authorem futurum promittit, cum diuinis & humanis legibus capite plectantur, qui venena exhibent, præsertim autem si fuerint Medici, vt declarat Plato, lib. 11. de legibus. Per medicamenta autem lethalia audit Hippocrates propriè vera venena, quæ vitæ principijs insidiantur & humanam naturam corrumpunt. Obseruandum autem homines duobus modis nocere posse; Per venena. Primò vulgaria, siue naturalia, siue artificialia, & hi venenarij appellantur. Secundò, per veneficia, & hi venefici dicuntur, atque maleficio venefico incantatorio nocere solent. Hippocrates hoc loco de veneficis non agit: sed tantum de venenarijs. Sed iam ad istius legis explicationem & illustrationem exagitanda sequens quæstio,

An liceat Medicis Medicamenta lethalia præscribere & propinare?

GR A V I s sanè maximique momenti est, proposita quæstio, in artis Medicæ præ-

xi: præsertim cum ab illius decisione, non solum Medicinæ, & Medicorum gloria, vel infamia: sed etiam populi salus dependeat. Iam igitur tum ad Hippocraticæ Legis illustrationem, tum in gratiam veritatis noui aliquid molendum.

Imprimis Hippocratem nostrum in promulgatione istius decreti, & Artis Medicæ, & Medicorum libertatem nimis restringere, exempla, experientiæ, & rationes demonstrare & persuadere videntur. Exempla primò, quia olim apud Massilienses, ut refert Valer. Max. libr. 2. cap. 1. Venenum cicutâ temperatum, publicè custodiebatur, quod dabatur eis, qui sexcentis Senatoribus causas exhibebant, propter quas mortem expeterent. Sic etiam olim in Coorum insula senio confecti, mortem non expectabant: sed antequam senectutis laboribus & doloribus corriperebantur, alij Papauere, alij Cicutâ mortem accersebant, ut refert Heracleides in politijs. Multi epoto veneno voluntariè perierunt, ut Anaxagoras, Demosthenes, & alij quàm plures.

SED IAM videamus, num rationes austeritatem Legis Hippocraticæ infirmant: Primò, Si obseruanda esset Lex proposita à Medicis, non liceret eis Medicamenta purgantia præ-

scribere, cùm secundùm Mesuram, omnia deleteria qualitate aliqua noceant, & inter ea multa sint reuera venenata, vt patet de euphorbio, Scammonio, helleboro, Lapide-Lazuli, & cæteris, Ideoq; optimè ab illo dictum fuit, optimā Medicinā esse non vti medicinā: tamē hæc omnia quotidie à medicis præscribuntur, vt constat experientiā. Deinde Medici ordinariè Opium, Papauer, Arsenicum, Sublimatū, Hydrargyrum præscribunt, At hæc omnia enumerantur inter medicamēta lethalia. Opium varias ingreditur compositiones, vt pilulas de Cynoglossō, Philoniū, Laudanū, &c. Ex Papauere Syrupus conficitur: Arsenico & auripigmento vtimur ad sananda vlcera pulmonum per suffitum, ex Galeni cōsilio: Sublimato ad vlcera, Hydrargyro ad Luis Venereæ curationem: Hippocrates ipse Helleborum præscribit & Cantharidas. Hinc igitur patet licere Medicis venenata Pharmaca præscribere. Postremò, licet condemnatis venena propinare, non solum ad fugiendam supplicij ignominiam sed etiam ad experienda antidota vt notum est. Ergo Lex Hippocratica nimis austerā videtur.

Nos TAMEN contrā, Theologorum & Iurisconsultorum Decretis insistentes, & legis

Hippocraticæ æquitati adhærentes, non licere hominibus voluntariè per assumptionem venenorum è vitâ egredi, neque Medicis lethalia medicamenta in hominum perniciem præscribere & propinare existimamus. Venenarij secundùm Iurisconsultos capite puniendi sunt, præsertim si Medici fuerint, vt docet Plato, lib. II. de leg. Ratio est, quia illud est contra finem Artis, & contra officium Medicorum, vt superius demonstratum fuit, plus enim est, hominem extinguere veneno, quàm tollere gladio, est enim proditorium homicidium, cū venenorum interuentu improbi humanæ salutis insidiantur. Sed iam vt istius opinionis veritas magis elucescat quædã jacienda sunt fundamenta.

I. FVND. VENENORVM cognitio Medicis admodum necessaria est : cum distinctione tamẽ : Tractatio siquidem venenorum vel refertur ad naturam eorum vel ad vsum: Quæ ad naturam, vtilis est, cum animalium, plantarum, & mineralium Venenatorum historia sit iucunda, & necessaria, quia cū à natura creata, vires eorum scire & docere, haud inconueniens est, ~~cum~~ ^{si quidem} ad Salutem hominis pertineat cognoscere ea, quæ possint caueri. Quæ ad vsum, aliàs salutaris, vt postea dicetur, aliquã-

do periculosa & prohibita, (non enim licet in hominum perniciem & ruinam docere rationem componendorū & exhibendorum Venenorum, aut propinare, & hoc est quod vult Gal. lib. 2. de antid. cap. 7. dum damnat quosdam qui edocebāt & scriptis tradebant rationem componendorum Venenorum)

II. FUND. VENENA cum sint corpora non naturalia, ad salutem & ad perniciem administrari possunt: non enim assentiendum Plinio, dum à natura non ob alium finem producta existimat, nisi ut homines in ærumnis, & insidijs vndiquaq; constituti misérias cū morte finire possent. Venena siquidē non solum artificibus inseruiunt, ut pictoribus, tinctoribus, argentarijs, alijsq;: sed etiam in Medicina ad depellendos varios affectus vtilia sunt, sic Hydrargyrum ad Luem præscribitur, sic ex Gal. 5. meth. cap. 6. pastilli ex Calchanto & Arsenico ad vlcera pulmonis, sic Cantharides, sic Opiū à Medicis cōmuniter præscribūtur, &c. dummodo cum correctione, & in quantitate conuenienti aut assumantur, aut admoventur. Porro varij sunt ordines Venenorū, quædā enim magis, alia minùs infensa, secundum naturam substantiæ, quantitatis & qualitatum ac præparationis modum.

III. FVND. MEDICIS non licet Venena propinare animo nocendi, nec hostibus quidem aut flagitiosis hominibus, quia Medicina non fortunâ, neque personis homines æstimat, sed omnibus æqualiter auxilio suo succursum pollicetur, nulliq; vnquam nociturâ profitetur. Neque etiam condemnatis Venenum dare licet ad euitandam ignominiam & infamiam: quia pœna sententia irrogata mutari non potest secundum Iurisconsultos: Supplicium enim institutû est ad pœnâ & ad exemplum. Licet tamen condemnatis propinare Venena, ad experiēda antidota cum gratiâ & licentiâ Principum & Superiorum, quia inde duo bona emergunt, Vnum est, bonum publicum propter experientiam antidotorû, alterum est, salus & vita damnatorum, si antidotis. Venena propinata euincantur & superentur.

HIS ITA jactis & suppositis fundamentis, concludimus non licere Medicis animo nocendi medicamenta lethalia præscribere; superest, vt contrarijs exemplis & rationibus satisficiamus.

AD EXEMPLA & historias respond. Cōsuetudines & exempla Barbarorum & Ethnicorû non esse imitanda Christianis, cum fidem
apud

apud nos non habeant : Impium enim est & Barbarum, sibiipſi mortem voluntariè inferre, ferro aut Veneno. Non enim diuina lex, nec natura, quemquam egredi temere patitur è vita : sed qui ita mortem ſibi conciliant, vt deſperati damnantur.

AD II. RESPOND. Medicamentorum purgantium varios eſſe ordines, dantur enim benigna, mediocria, & violenta, ſecundùm Meſuæum : In omnibus, ſecundùm magis & minus, latet qualitas quædã naturæ inſenſa : benigna tamen ſine vllò periculo propinantur, Alia cum correctione in quantitate conuenienti, vt omnis noxa arceatur, Et quãuis nocere videantur, tamen plus iuuant quàm nocere poſſint, dummodo ſecundùm Artis præcepta exhibeantur : Et licet eiufmodi medicamenta deleteria cenſeantur, tamen non vt lethalia præſcribuntur, ſed vt ſalutaria per accidens : At Hippocrates, in ſua conſtitutione de medicamētis lethalibus, quæ animo nocendi præſcribuntur, agit, non de purgantibus.

AD III. RESPOND. Ea licet naturâ videantur Venenata, tamen ita corriguntur & præparantur, vt nocere non poſſint, niſi in nimia quantitate propinentur.

AD IV. RESPOND. Non licere condem-

F

natis Venena propinare, ad euitandam supplicij infamiam : Supplicium siquidem institutum est, non solum ad pœnam, sed etiam ad exemplum.

AD V. RESPOND. Cùm licentiâ & permissione superiorum, possent Medicos, cõdemnatis Venena propinare; quia inde duo bona emergunt, salus condemnatorum, & salutis publicæ commodum, si Antidota Venenorum vim infringere, & Veneno infectos conseruare valeant.

QVINTA LEX.

*De abortiuis ad corruptionem fœtus,
& de Vita Artisq; Castitate.*

ΟΜΟΙΩΣ ἢ ἐδὲ γυναικὶ πρὸς τὸν φθόρον δώσω, ἀγνώσῃ ἢ οὐκ ὁσίων ἀληθεύσω βίον τ' ἐμὸν, καὶ τέχνῃ τὴν ἐμήν.

NEQUE simili ratione mulieri pessum subdititiũ ad fœtum corrupendum exhibebo: sed castam & ab omni scelere puram, tum vitam, tum Artem meam perpetuo præstabo.

QVINTÆ LEGIS ILLUSTRATIO.

POLLICETVR in hac quinta Lege Hippocrates noster, nominis autoritate, & hono-

ris integritate motus, se nunquam mulieribus
 pessum subdititium ad corrupēdum fœtum,
 & ad prouocādum abortum exhibiturum, sed
 puram & integram, tum vitam, tum Artem
 conseruaturum. LEGIS istius æquitatem tria
 indicant. Primum est creaturæ innocentis
 status in vtero: crudele siquidem est facinus,
 vt loquitur D. Augustinus, tenellum fœtum
 animatum & viuētem, aut nondum perfec-
 tum intra viscera matris extinguere. Alte-
 rum, est matris respectus, tum ratione cōscien-
 tiæ: horrendum etenim est quando mater
 genituræ suæ aut effluuium, aut excidium
 meditatur & molitur: tum ratione periculi,
 cū per abortum in vitæ discrimen Medici
 qui talia audent præcipitent grauidas; abor-
 tus siquidem grauiores esse solent, quàm na-
 turales partus, vt docet experientia: præter-
 naturalia enim, quia violenta, naturalibus
 periculosiora sunt. Per abortum vteri aceta-
 bula magis dilaceratur, quàm in maturo par-
 tu, idq; cum summa totius corporis concus-
 sione, & humorum indicibili agitatione.

Tertiò æquitatem istius Legis non solum
 Ius diuinum, sed etiam constitutiones Pon-
 tificum & Iurisconsultorum, quæ in Iure, tum
 Canonico, tum Ciuili continentur, satis su-

perq; declarant & cōfirmant. Quicunq; enim vel vt liberè libidinē suam expleant, vel quia fœtum oderunt, vel ne scelus prodatur admissum, aut quacunq; de causa abortum procurant, siue percussione, Venenis, medicamentis, & potionibus, siue oneribus & laboribus impositis mulieri pręgnanti, vt homicidæ puniuntur, & cum illis, quicunque auxilium, consilium, & consensum præbent. Verum vt istius Legis veritas illustrior euadat, sequentes agitandæ sunt quæstiones, quarum prima hæc erit,

*An liceat Medicis fœtū corrumpere,
& abortum prouocare?*

AR D V A & à multis agitata sese jam offert examinanda quæstio, quæ sanè sinu suo grauissimas difficultates, tum ad generationis humanæ conseruationem, tum ad Medicinæ honorem & Medicorum integritatem, tum ad hominum mulierumq; vitam & perniciem spectantes complectitur. An scilicet liceat Medicis fœtum corrumpere, & abortum prouocare? Nostrium jam est omnes opinionum & rationum turbas in hoc latissimo disputa-

tionis campo ordinatim proponere, & quid in tam dubiâ, tamq; difficili controuersâ, secundum conscientiâ & honoris integritatem, veritatisq; candorem tenendum sit, audacter concludere.

PRIMA opinio eorum est, qui licere Medicis abortum prouocare, tum ratione honoris, ad euitandam infamiam, tum ad fugiendam multitudinem liberorum, tum etiam ad præcauendum mortis periculum, quod grauidis, vel acuto morbo laborantibus imminet, vel ex partu, tum delicatioribus puellis, tum alijs ob ceruicis angustiam, vel tuberculum, vel vteri paruitatem, constanter affirmant. Istius opinionis authores & fautores videntur ex Græcis, Hippocrates, Aristot. Aëtius. ex Arabibus, Auicen. Rhazis, Haliabbas; ex Latinis Priscianus & alij quamplures.

Imprimis Hippocrates noster libello de Natu. pueri, in honoris gratiam licere Medicis genituræ effluuium procurare, affirmare videtur, dum scribit se consuluisse saltatrici, quæ dubitabat vterum ferre, & dedecus timebat, vt conceptum saltando deijceret: cuius historię veritatem refert Gal. tum lib. 1. de semine cap. 4. tum libello de fœtuum format. vbi se procurasse abortum, & licere Medicis genitu-

ram deijcere, ad considerandam illius naturam, tacitè fateri videtur.

Aristoteles secundo polit. cap. 9. & 7. de hist. animal. cap. 16. scribit, licere mulieribus ad euitandam multitudinem liberorum, secundum Cretenses, conceptionem impedire & rumpere, quod definitus esse debeat numerus liberorum.

Auicenn. fen. 21. libr. 3. tract. 2. cap. 12. palàm & manifestè testatur, abortum aliquando necessarium esse, ad euitandum mortis periculum ex partu, in tenellis & delicatioribus, propter immaturitatem nuptiarum, vt declarat Arist. 7. polit. cap. 16. tum etiam in alijs, ob colli angustiam, vteri paruitatem, & si tuberculum aliquod subsit, in ceruice vteri adnatum post conceptum, vel ante, vnde impendeat pavor, ne in partu pereat mater; præstat enim perdere foetum quàm matrem, cum illius vita periclitatur: Ideoq; eodem capite, quomodo, & quibus remedijs prouocari possit abortus, liberè demonstrat.

Huic opinioni assentiuntur, Aëtius, Rhazis, Halyabbas, Priscanus, & alij permulti, qui abortum ad salutem grauidarum sæpiissimè necessarium esse affirmant. Quemadmodum enim, inquiunt, in nauibus nimio onere de-

pressis, dum graui tempestate iactantur, ex damno habent remedium nauæ, & mercaturas in mare deiiciunt: Sic etiam, dum grauidæ mortis periculo iactantur, ob morbi aliquius acuti præsentiam, licet tunc onus grauiditatis deponere, & salutem mercari ex iactura foetus.

RATIONES quæ speciosam & adumbratam opinionis istius veritatem illustrare videntur, hæ sunt.

PRIMA. SI NON liceret Medicis prouocare abortum, nec liceret etiam eis purgantia præscribere, aut venam secare in grauidis, acuto morbo laborantibus, cum hæc duo remedia sint abortiua, ex Hipp. Aph. I. lib. 4. 29. lib. 5. & 30. eiusdem. Atqui licet secundum experientiam, & venam secare & purgare quando necessitas vrget, Ergo, &c.

SECUNDA. INHUMANVM & crudele esset, grauidas non posse liberè ab honoris & vitæ naufragio, per abortum liberare, cum præstet fructum perdere, quàm arborem; & foetum, quàm matrem, naturâ etiam iudice & sua-

TERTIA. LIBERVM & licitum est Medicis, mulieres à morbis & à periculo mortis liberare: Atqui grauiditas morbus est, vt sym-

ptomata quæ graviditatem comitatur demon-
strant, Pica, *μαλακία*, Palpitatio cordis, diffi-
cultas respirationis, corporis labor, & lan-
guor, &c. Et partus periculosus & horren-
dus, ob tormina, hæmorrhagiam convulsio-
nes, &c. Ergo licebit Medicis abortum pro-
uocare, tum ad arcenda graviditatis sympto-
mata, tum ad euitandum Partûs periculum.

SECUNDA opinio aliorum est, qui ut pro-
positæ sententiæ libertatem coërceant, existi-
mant, non licere Medicis fœtum animatum
& perfectum corrumpere: sed tantum geni-
turam nondum viuentem & animatam, idq;
in gratiam grauidarû, ad honoris & vitæ con-
seruationem, & ad euitanda pericula, quæ ex
partu laborioso, & ex acuto morbo imminere
possunt. Huius opinionis authorem habemus
Mosẽ, canonistas, & alios.

PRIMÒ, MOSES diuina Lege fanciuit, cap.
21. Exodi, si quis percusserit grauidã, & abor-
tum fecerit, si formatus fuerit fœtus, det ani-
mam pro anima, si nõ animatus, pecuniã mul-
ctetur. Hinc eliciunt abortum non semper
ut homicidium puniendum, & ob legitimam
causam, in principio ante efformationem posse
prouocari.

SECUNDO, Quando fœtus in vtero matris,
ani-

animam nondum habet, mulier quæ partum abiicit suum, aut is qui abortum infert, homicidij pœnâ Canonicâ non tenetur, quoniâ qui nondum vivit, nec moritur nec occiditur, 32. quæst. decreti, in cap. QVOD VERÒ: Et in decreto, in cap. sicut ex literarum. De homicidio. Monachus cuius operâ mulier partum abegerat, quia fœtus nondum vivebat, irregularis non fuit, & sacris operari non destitit, contrâ autem statutum fuisset, si fœtus vixisset.

TERTIÒ, Hippocrates, in honoris gratiam effluuium genituræ per saltationem procuravit, antequâ esset vivens & animata, Sic etiam videtur rationi consonum, illud tentari posse in gratiâ gravidarum, si immineat periculum vel ex partu, vel ex morbo acuto præfenti præsertim.

QUARTÒ, Ante formationem & animationem fœtus, si necessitas urgeat, aut honoris aut vitæ, nullum imminet periculum, aut ex parte matris, ob debilitatem ligamentorum fœtus, & illius mollitiem: aut ex parte fœtus, cum nec vivat, nec sensu donatus sit, sed veluti albumen ovi tunica obuolutum referat.

TERTIA opinio, cuius veritati cogimur nos acquiescere, eorum est, qui nullomodo li-

G

cere Medicis fœtum aut immaturum, & nondum animatum, & perfectum corrumpere, & perdere, abortumq; prouocare affirmant, secundùm ea, quæ proposita fuerunt in explicatione Legis Hippocraticæ. Iure siquidem diuino & humano, tum canonico, tum ciuili, aut ad mortem, aut ad exitium, aut ad metalla, aut ad mulctam pecuniariam damnantur non solum ij, qui abortum faciunt, secundùm iudicum arbitrium, & facti conditionem: Sed etiam alij, qui consilium, aut consensum, aut auxilium præbent. Aristot. 7. polit. cap. 16. licet conceptionem impedire licitum esse, ad liberorum multitudinem euitandam concedat, tamen cum de concepto jam fœtu agitur. Nefas est, inquit, conceptum jam fœtum, & sensum ac vitam possidentem, extinguere: & meritò sanè, quia quod in vtero continetur, animal est, vt docet Gal. libello, An animal sit quod in vtero est, cap. 5. quod probat hæc demonstratione. Dux sunt leges à Legislatoribus latæ, quæ fœtum animal esse declarant. Prima est pœna statuta ei, qui abortum facit: Altera quæ iubet nondum natos (posthumos appellant Iurisconsulti) hæredes posse institui. Horrendum igitur & morte piandum, ius & opera naturæ per abortum violare, & corrumpere.

D. FR. RANCHINI COMMENT. SI
pere, dum speciei humanæ propagationi &
conseruationi studet. Verùm vt istius opinio-
nis veritas magis elucescat, sequentia jacienda sunt fundamenta.

I. FUND. ABORTVS vel accidentalis est,
vel voluntarius, Accidētalis siue fortuitus, de
quo Moses in sua Lege, est quando quis per-
cutiendo aut aliquomodo pulsando grauidam
mulierem, inscipienter aut per accidens, sine
odio contra fœtum, sed tātum contra matrem
abortum facit.

VOLUNTARIVS duplex est: Malitiosus
vnus, alter necessarius ex suppositione. Mali-
tiosus ille dicitur, quando vel honoris præ-
textu, ad euitandam puellarum ignominiam,
vel ad liberè explendam libidinem, vel ob pec-
uniam datam & acceptam, fœtus corrumpi-
tur, vt de Milesiâ muliere refert Cicero in
orat. pro Cluen. quæ propter pecuniâ ab hæ-
redibus datam, partum abegit & ejecit, vel
denique ad euitandam liberorum multitudi-
nem, cum definitus esse debeat eorum nume-
rus, secundum Arist. in politicis.

NECESSARIVS autem ex suppositione
ille dicitur à Medicis nostris, quando ad fu-
giendum periculū mortis, quod imminet gra-
uidis, vel ex præsentia morbi acuti, vel ex fu-

G 2

tūro partu, vt dictum fuit, ad abortum procurandum inuitantur.

H A C suppositâ distinctione, dicimus abortum accidentarium, & fortuitum, & morte & pecuniâ mulctari, ex lege diuinâ, à Mose propositâ, secundum fœtus conditionem & statum; si animatus sit, vt homicidium punitur; si nondum formatus, pecuniâ mulctatur.

Q V O D autem ad MALITIOSVM spectat, existimamus nullomodo licitum esse, non enim tolerandum tam inhumanum, tamq; crudele facinus. sed morte atrocissima plectendi, qui abortum faciunt: non enim licet sub honoris respectu, luxuriandi ansam dare, aut ad fugiendam prolis copiam, naturæ propagationem impedire, Contineant sese potius, tum virgines, tum viduæ, tum moniales & mulieres etiam nuptæ, si ita abhorrescant cōceptum; præstat enim castè viuere, quàm in honoris & vitæ ruinam sese præcipitare. Sed jam videamus an necessarius abortus licitus etiam sit.

II. FVND. NECESSARIVS abortus ex suppositione duplex est, Primus quādo matri mortis periculū imminet ex morbo acuto, ^{Secundus, cum} ~~vel~~ ex partu. Primum supponendum, non licere Medicis abortum facere, quando morbo acuto tenetur grauidæ mulieres; quia illud esset malū malo

addere, & prægnantem magis magisq; ad exitum præcipitare.

Primò, ex 4. libr. Aph. 31. lethale est, gravidam mulierem morbo acuto corripì : sed mortis periculũ augetur magis per abortum, quia cum per se sit funestus, & calamitosus in fanis mulieribus, vt demonstratum fuit superius, secundũ Gal. Comment. 1. in Aph. 1. lib. 4. præfertim cum fœtus grãdis existit, multo magis si gravidam acuto morbo corripì cõtingat. Deinde fœtus exclusio non est crisis, nec abortus, aut febrem tollere, aut causã morificam euacuare potest, sed potius morbum augere, & vires resolvere. Neque spes salutis ex menstruorum effluxu expectanda est; natura enim cum de conseruando fœtu semper sit sollicita, per hæmorrhagiam sese exoneraret, si sanguinis copia opprimeretur.

Deinde præsentia fœtus, remediorum administrationem non impedit, licet enim liberaliorem Venæ sectionem, & vehementiora purgantia contraindicet, tamen moderatam euacuationem tum humorum, tum sanguinis patitur, & alterantia atque roborantia remedia non prohibet. Cũ igitur maius aut æquale periculum impendeat, ex abortu quàm ex febre acutã, non video necessitatis Legem.

G 3

Adde quòd nulla extât exēpla, aut apud Hippocratem, aut apud Galen. quæ in grauidis promouēdum esse abortum, vel ratione morbi acuti, vel ratione alicuius periculi, ex partu demonstrent, licet grauidarum morbis acutis laborantium historias referant. Si tamen morbus acutus, ex vitio fœtus, aut vteri dependeat, & morientis fœtus signis apparentibus, natura abortum moliatur, (difficile enim est secundum Hipp. & Gal. Quarto Aph. vt mulieres pręgnantes morbo acuto correptæ fœtum retineant,) tunc Medici officium est, naturæ motum iuuare in desperatâ fœtus conseruatione, idq; cum vigilantia & dexteritate, ob periculum, quod & matri & fœtui impēdet.

III. FVND. ABORTVS etiam aliquando dicitur necessarius à Medicis nostris, quando imminet periculum ex partu, idq; in tribus casibus, ab Aëtio & ab Auicennâ propositis: Primus est vteri paruitas, Secundus, Matris tenella & debilis dispositio: Tertius, tuberculū ceruicis vteri. Iam nostrum est demonstrare, tum Aëtij, tum Auicen. leuitatem & inconstantiam in operatione tam graui & seriâ.

Vteri paruitas, nullomodo ad perdendum fœtum Medicos inuitare debet, tum quia de ea nullomodo iudicare possunt Medici, cum

nulla habeamus signa propria aut communia, tum quia si paruitas vteri tanta sit, ut non possit pati extēsiōem necessariam, ad fœtū conseruationem, natura irritata sese exoneraret per abortum.

AN verò matris tenella & debilis dispositio Medicos ad abortum prouocare debet? minimè. Retardandæ sunt immaturæ nuptiæ, quod si jam celebratæ sint & puellæ grauidæ existât, conuenienti viuendi ratione, & remedijs relaxantibus, ita eas præparare poterunt Medici, ut sine periculo parere possint: Multæ, teste experientiâ, etiam decimo quarto & decimo quinto anno pariunt, neque est quod Auicē. ita reclamet, cum æquale periculum impendeat puellis prægnantibus ex abortu, quàm ex partu naturali.

Tertia superest causa periculi ex partu, tuberculum scilicet adnatum ceruici, vel ante conceptum, vel post, vel angustia colli naturalis: Angustia, si egressum impediat, conceptionem etiam impedit; si mediocris existat, & neutrum prohibeat, sed tantum partus difficultatem faciat, relaxantibus corrigēda erit, si de ea conquerantur mulieres. Quod ad tuberculum spectat, vel ante conceptum aderat, tuncq; ex molestiâ & læsione mulier ad quæ-

renda auxilia inuitatur, quorum ministerio auferri poterit; vel post conceptum apparet, & pariter curari potest, quòd si contumax sit, & persistat, & periculum immineat, tunc ante conceptum mulier certior facta, à congressu abstinere debet: Post conceptum, Cæsarea sectio in desperato partu locum habebit, vt & quādo ob fœtus magnitudinem, & colli vteri angustiam impeditur partus.

CONCLVSIO. His suppositis fundamentis concludimus nunquā licere Medicis, quacunq; de causa abortum prouocare, & fœtum vel animatum, vel non animatū perdere, Non enim est faciendū malum, vt inde eueniat bonum. Cum enim nec voluntaria pollutio sit licita; sed inter peccata contra naturam recensetur, vnde illud, VÆ VOBIS, QVI SEMEN EFFVNDITIS SVPER TERRAM. Et cum non liceat conceptionem impedire, aut sterilitatem inferre, vt ex sequenti quæstione manifestum erit, multo minus licebit cōceptum iam factū corrumpere, Neq; est, quòd quis ad inanimationem fœtus confugiat, aut ad legem Moïsis, Ibi enim de fortuito abortu, non de volūtario agit Moïses. Superest iam vt contrariæ opinionis rationibus satisfaciamus.

Quod ad primæ opinionis auctoritates & ratio

rationes spectat. RESPOND. ad Hipp. libellum de natura pueri, spurium & adulterinum esse, nec vnquam fuisse ab Hippocrate cōscriptum, sed à Polybio eius discipulo, vt declarat Gal. cap. I. lib. de fœt. formatione: neque enim valet excusatio, quæ in gratiâ Hippocratis à quibusdam affertur, non abortû procurasse, sed effluxum genituræ: cum vtrumq; prohibitum sit.

SECUNDÒ, AD Aristot. Auicen. & Aëtij authoritates patet solutio, ex 1. 2. & 3. fundamento.

TERTIÒ, AD Prisciani comparationes, de nauium iactatione, dicimus, friuolâ esse comparationem, in nauî enim de iacturâ mercaturæ agitur tantum, hic autem de corruptione hominis, de homicidio, de animæ & corporis iacturâ.

AD PRIMAM Rationem, RESPOND. purgationem & venæ sectionem non semper prouocare abortum: sed tantum quando vel nimium liberaliter, vel non debito tempore vsurpantur, Medicamenta violentiora suspecta esse debent, & copiosa sanguinis extractio, non autem moderata, aut sectio venæ, aut purgatio, teste experientiâ: hicque obseruandum, Medicos in gratiam grauidarum, posse liberè ea omnia remedia præscribere, quæ

H

proficere possunt, cum respectu tamen cōser-
nationis foetus, & sine animo nocendi, Quod
si ex accidenti foetui noxa inferatur, nullo cri-
mine tenentur Medici, quia sæpe inter curan-
dum in maximas angustias deducuntur.

AD SECUNDAM RESPOND. Non esse facien-
dum malum, vt inde bonum eueniat, vt de-
monstratum fuit in fundamentis.

AD TERTIAM RESPOND. grauiditatem
non esse morbum, sed affectionem naturalem,
licet varia symptomata mulieres grauidas
exerceant, nec partum lethalem esse, sed do-
lorificum & torminosum.

QVOD ad secundæ opinionis authoritates
& rationes spectat, nullius sunt momenti. Mo-
sis enim Lex nihil contra nostram sententiam
facit, quin potius eam firmat magis.

AD Capita decretorum Resp. Distinctio-
nem illam vitiosam esse, Cum enim non liceat
conceptionem impedire, multò minus licebit
conceptionem iam factam ruitipere, ideoq;
iniustum mihi videtur caput illud, in quo Mo-
nachos abortus malitiosi reos non damnat ad
mortem, & irregulares non facit.

AD rationes patent solutiones ex funda-
mentis.

ERGO non licet Medicis fœtū corrūpere, & abortum vllomodo prouocare.

QVÆSTIO SECVNDÆ.

An liceat Medicis conceptionem impedire, & sterilitatem inferre?

PER MVLTOS, vt propositæ quæstionis conclusionem effugiant, & illius seueritatem coërceant ac temperēt, existimant non licere abortum prouocare, licitum tamen esse conceptionem impedire, vel sterilitatem inferre, cum agitur aut de honore puellarum & Monialium, aut de euitando mortis periculo, ex futuro partu, ob causas ab Aëtio & Auicenna superiùs propositas, volunt enim ferendum potius ^{impedimentum} ~~periculum~~ conceptionis, quàm scandalū, quod ex imprægnatione virginibus Monialibus accidit, & quod mulierib⁹ ex partu futuro aliquando impēdet: atque ita speciosâ honoris, & scandali, atque periculi adūbratione, opinionis istius malitiam & abominationem velare conātur & demulcere. Doctissimus Mercurialis, cap. 2. lib. 1. de morb. mul. existimat, licere Medicis conceptionem

H 2

impedire, non quidē in gratiam honoris, ad vituperia fugienda, & ad explendam libidinē sine scādalo, sed tantum ad euitandū mortis periculum, quod impendet ex futuro partu, ibidemq; docet secundū veterū Medicorum & Philosophorum doctrinam, tribus modis posse impediri conceptum, antē coitum scilicet, in coitu, & post coitum.

Verū hac in parte, & sterilis in remedijs, & malitiosus in consilio mihi videtur Mercurialis, atque mulctandus, cum vitæ puritatem non seruet secundū Hippocratis iusiurandum.

ARISTOTELES 7. lib. polit. cap. 16. conceptionem libere impediri posse, ad fugiendam liberorum multitudinem demonstrat, cum definitus debeat esse numerus proles.

RATIO huic opinioni fauere videtur, cum impedimentum conceptionis, nec sit homicidium, nec matri, aut parentibus noceat. Contra autem inhumanum videtur, virgines, aut moniales, in honoris & vitæ ruinam, atq; scandalum præcipitare.

NOS TAMEN contrā, licitum non esse Medicis aut conceptionem impedire, aut sterilitatem inferre existimamus, cū illud sit non solum contra Theologorum & Iuriconsultorum decreta: sed etiam contra intentum

naturæ, quæ indiuiduorum conseruationi per speciei propagationem studet. Si aliquis, inquiunt Canonistæ, causâ explendæ libidinis, vel odij meditatione, homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, vt non possit generare, aut concipere, vel nasci soboles, vt homicida tenetur, *cap. si aliquis de homicidio voluntario*. Sic Sixtus V. constitutionem edidit, qua morte mulctantur non solum qui abortum procurant; sed etiam qui conceptionem impediunt, & sterilitatem inferunt, & meritò sanè, cum hæc omnia potius ad euitandam scandali & honoris turpitudinem & ad explendam libidinem effrenatam, quàm ad fugiendum mortis periculum ex necessitate vsurpentur. Ne igitur videamur virginum aut viduarum, aut Monialium, aut aliarum turpitudini & libidini fauere, concludimus secundum rei veritatem, non licere conceptionem impedire, aut sterilitatem inferre.

ARISTOTELIS Lex ad fugiendam paupertatē in familia nō admittitur à Christianis, sed tanquā iniusta & contra naturā data damnatur, quæ autē ratione honoris & vitæ conseruandæ pallio velantur, nullius sunt momenti, cum conscientiæ & pœnarum consideratio superior sit, vt patet ex præcedenti quæstione.

SEXTA LEX.

De Calculosorum sectione.

Ο τῆμέω ὃ εἰδὲ μὴν λιθιῶντας, ἐκχωρήσῃ
ὃ ἐργάτησιν ἀνδράσι πηξίῃ τῆςδε.

N EQUE verò Calculo laborantes secabo, sed
magistris eius Artis peritis id muneris conce-
dam.

SEXTÆ LEGIS ILLUSTRATIO.

HIPPOCRATES iurat hoc loco, se
Calculo laborantes non secaturum: sed
magistris secandi calculi peritis .i. Operatori-
bus qui eam Artem profitentur, id muneris
concessurum. Ex quibus apparet tēpore etiam
Hippocratis nostri operadores fuisse, qui varias
operationes Chirurgicas exercebant.

Duabus autem de causis motus author
noster, sextam hanc legem proposuit: Prima
est, ut calumniā effugeret, ob periculum quod
imminet ex sectione Vesicæ, alibi enim lethala
esse vulnera Vesicæ affirmavit, Secunda est
ut Medicorum dignitatem conseruaret, turpis
enim & indigna manu Medicorū videtur eius.
modi operatio, rectè igitur se eius rei faciendæ
facultatem operatoribus daturum concedit,

urgente necessitate.

Sed dicet aliquis. Cur idem de Cæsareo partu, de Parachentesi, de Vstione in Emphyemate, & similibus non iurat? Respondeo, operationes istas proprias esse Chirurgorum: operatores enim de sectione Calculi, de Hernijs, de Cataracta, potius solliciti sunt, quàm de suppositis operationibus, Ideoq; Hippocrates operatoribus eas committit. Sed iam ulterius procedamus & inquiremus,

An liceat Calculo laborantes secare, secundum Hippocratis consilium?

PERMULTI Hippocratem censurâ dignum existimant, imò tamquam perniciosi & periculosi consilij authorē damnant, dum sectionē Vesicæ consulit. Omnia siquidē periculosa & lethalia consilia vitanda: sed tale hīc proponitur; quod sic probāt: Periculū istius operationis & damnum tria testantur: imprimis Hippocratis ipsius autoritas, dum Aph. 18. lib. 6. lethalia esse vulnera Vesicæ pronunciat. Secundò Symptomata, quæ sectionem vesicæ consequuntur, Conuulsio, dolor, inflammatio, Gangræna. Tertio experientia ipsa, quæ permultos perire ex eiusmodi operatione testatur.

Deinde cur Hippocrates ad extremum remedium statim confugit, cum nonnisi desperatis omnibus remedijs tentari debeat. Cur non proponit vsum aliorum remediorum, quæ Calculum frangere & dissolvere possunt, cum eorum syluam habeant Medici, priusquam ad calamitosam & horrendam illam operationem confugiant. Atque inde concludunt Hippocratem, tanquam sceleris horrendi conscium, & authorem damnandum esse.

Nos tamen contrà, Hippocratis consilium laudamus, non quidem statim in principio morbi, vt etiam nec mens authoris fuit, sed in desperatâ salute, post irritum aliorum remediorum vsum. Tunc enim temporis dubia salus certâ desperatione est certior, præsertim cum multi euadant, teste ipsâ experientiâ. Temeraria est & perniciosa omnis Medicina, quæ Calculo vesicæ frangendo adhibetur, vt constat ex Hippocrate, quinto Epid. in Historia Larissæ pueri, qui ob acrimoniam diureticorû periit. Vanum etiam est consiliû Prosperi Alpini, quod proponit lib. de medic. Egypt. posse extrahi Calculum per dilationem pudendi, illud enim fabulosû nec verosimile, nisi in mulieribus, ob viarum breuitatem, & in viris quando Calculi minimi sunt. Cum igitur non possit

possit alio modo aut dissolui, aut extrahi Calculus, quàm per sectionem, meritò consiliùm Hippocratis laudandum videtur. Quare præparato prius corpore, & debitâ victûs ratione institutâ, eiusmodi operatio ab Operatore idoneo & perito secundùm Hippocratis consiliùm poterit perfici. Quod si quis pereat ex vulnere Vesicæ & sectione, illud accidit vel ob pravam corporis dispositionem, & ob accidentia quæ superueniunt, vel ob lacerationem factam à grandiori Calculo & adhærente: debet enim esse vagus & mediocris. Vulnere Vesicæ necessariò non sunt lethalia, præsertim quando sectio fit in parte carnosâ; sed per accidens, ut demonstratum fuit à nobis in quæst. 12. sect. 1. lib. 4. & in quæst. 13. 2. part. lib. 7. quæst. nostrarum Chirurgicalium.

SEPTIMA LEX.

*De Puritate & Castitate
Medicorum.*

Εἰς δικίας ἢ ἀκόστας ἀνέστω, ἐσελεύσομαι ἐπ' ὠφελείῃ καμνόντων, ἐκτός ἐσθ' ὅταν πάσης ἀδικίης ἐκασίης καὶ φθορίης τ' τε ἄλλης, καὶ ἀφροδισίων ἐργῶν, ὅτι τὸ γυναικείων σωμάτων, καὶ ἀνδρῶν, ἐλευθέρων τε καὶ δούλων.

I

IN quamcumque autem domum ingressus fuero, ad egrotantium salutem ingrediar, omnem iniuria inferenda & corruptelæ suspicionem procul fugiens, tum vel maximè rerum venerearum erga mulieres iuxta & viros, tum ingenuos tum seruos.

SEPTIMÆ LEGIS ILLUSTRATIO.

HIPPOCRATES confirmat in hac Lege, quod in tertia & in quinta proposuerat, vitam scilicet se ab omni scelere puram & castam conseruaturum, & omnem tam animi quàm corporis impuritatem euitaturum, ægrosque ab omni iniuria vindicaturum. Postea verò castitatem Medicis commendat dum eos hortatur ne rerum venerearum cupiditate, aut erga mulieres, quod naturale est, aut erga viros quod abominabile, & contra naturam, trahantur. CASTITATIS necessitatem in Medicis declarat insigne illud quod datur illis qui lauream Apollinarem consequuntur, Zona scilicet, cuius proprium est renes coërcere, & effrænatas lumborum cupiditates temperare, sic Diana illa castitatis Dea Zonam suam semper secum deferebat. Meritò igitur Hippocrates noster vitam ab omni rerum venerearum cupiditate alienam pollicetur, quia impium illud est, quando sub prætextu salutis

OCTAVA LEX.

*De Prudentiâ Medicorum in reue-
landis aut occultandis Arcanis.*

A Δ' ἂν ἐν Θεραπείῃ ἢ ἴδω, ἢ ἀκούσω, ἢ ᾗ
ἄνευ Θεραπείης κατὰ βίον ἀνθρώπων, α-
μὴ χρὴ ποτὶς ἐκκαλέεσθαι ἔξω, συγῆσομαι, ἀρ-
ρήτα ἢ γένηται εἶναι τὰ τοιαῦτα.

Q V Æ verò inter curandum, aut etiam Medi-
cinam minimè faciens, in omni hominū vita,
vel videro, vel audiero, quæ minimè in vulgus efferrī
oporteat, ea arcana esse ratus, silebo.

OCTAVÆ LEGIS ILLUSTRATIO.

IN HAC postremâ cōstitutione Hippocra-
tes Iurifiurandi Leges silentio concludit: Agit
enim de taciturnitate Medicorum, non solum
prout Medici sunt, sed etiam prout inter ho-
mines, societatis & cōmunicationis Iure ver-
santur. Prout Medici sunt, silentium illis cō-
mendat: Vt enim non licet Theologis confes-
soribus, sub excommunicationis & supplicij
pœna, confitentium peccata, aut verbo, aut
signo, aut alio quouis modo, reuelare: Sic etiā

nec Medicis, qui corporeorum morborū confessores sunt, non licet, hominū vel mulierum infirmitates indicare, aut publicare, ne scil. agrotātes in confusionem & verecundiam cum scandalo incidāt, & Medicorum imprudentiā & loquacitatem diffamentur. Hæc autem Lex, non audienda de morbis vulgaribus, quorum scientia, & reuelatio damnosa non est, sed de secretioribus, & occultis tantum.

Prout etiam in communi hominū vita aliquid vident, aut audiunt Medici, quod in vulgus minimè efferri oporteat, loquaces esse nō debent & veloces, sed vel tardi vel muti, quia Prudentiæ comes est Taciturnitas: prudentes siquidem illi sunt, qui sermones suos moderantur, inquit sapiens. Olim ori digitum, vel annulum imponebant veteres, in silentij signū. Et in omnibus templis, vbi colebatur Isis, & Serapis, simulachrum erat digito labris impresso, vt silentium denotaretur. O vtinam Medici nostri, vel annulum, vel digitum ori appositum gestarent vt ita continuo de silentis laborantium infirmitatibus admonerentur. Piscibus ergo taciturni ores sint Medici, ac sibi caueant à Claudiani versibus, qui fingit loquacissimos viros, & qui Arcana produnt, in pisces mutari apud inferos,

Qui iusto plus esse loquax, arcanaque suavis.

Prodere, piscosque feriat victurus in undas,

Ut nimiam pensent aeterna silentia vocem.

Tertia Iurisjurandi pars, quae Ex- cratoria est.

ΟΡΚΟΝ ἢ ἐν τόνδε θεὸν καὶ πατέρα καὶ
μητέρα, εἴη ἐπ' αὐτοῖς, καὶ ἐάν τις
λέξης, δοξαζομένη παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις, καὶ
τὸν αἰθέρα, πᾶσι βασιλεύοντι καὶ ὁπιοῦντι,
ταύτην ἰστέον.

HOC igitur Iusjurandum si religiose observave-
ro, ac minime irritum fecero, mihi liceat, cum
summi apud omnes existimatione perpetuò vitam sa-
licem degere, & Artis uberrimum fructum percipere.
Quod si illud violauero, & praeuero, contraria
mihi contingant.

TERTIÆ ET VLTIMÆ PARTIS IURIS- IURANDI ILLUSTRATIO.

TERTIA hæc & postrema Iurisjurandi
Hippocratici pars execratoria est: per execra-
tionem enim Iusjurandum adhibetur, cum iu-
rando rem aliquâ, Deo ultori & vindici subij-
cimus, si verum non sit quod juramus sic Apo-
stolus, **DEVM INVOCO IN ANIMAM MEAM,**

70 IN HIPPOCR. IUSIVRANDVM

Sic in sacris literis, HÆC MIHI FACIAT
DEVS & HÆC ADDAT, id est, mihi hæc aut
illa mala contingant si ita non est, aut si illud
non faciam; Sic MORIAR, AVT DISPEREAM,
si illud non sit: sic serui, NVNQVAM FIA M
LIBERTATIS COMPOS, SI ILLVD NON SIT:
Sic milites, cum diris execrationibus in nomi-
na Imperatorum iurantes sese deuouebant.
Iam Hippocrates noster, vt religionis, veritatis
& constantiæ signa det, iurat cū execratione.
Triaq; desiderat, & sibi & alijs Iusjurandum
propositum religiosè obseruantibus, Primò
summā apud vulgus existimationem, Secundo
omnia prospera & fœlicia: Tertiò Artis vber-
rimum fructum, diuitias scilicet: Contraria
autem contingere exoptat violentibus Iusju-
randum, & contraria facientibus.

IN HIPPOCRATIS IUSIVRANDVM
D. FRANCISCI RANCHINI
COMMENTARIJ

FINIS.

LAUS DEO OPTIMO MAXIMO

IN IDEM
HIPPOCRATIS
IUS IURANDVM,
D. ISAACI CASAUBONI

notæ; ante annos viginti quinq; ,
in hac celeberrima Vniuersi-
tate, publicè prælectæ:

Quas

CVM

IN AVTHORIS
MEMORIAM,
ET STUDIOSORVM

gratiam publicas faciat, Af-
clepiadeæ proli acceptæ
vt sint obnixè
rogat

HENRICVS GRASSVS.

SAPIENTES introduxerunt Iusjurandū
vt tanquam clauus affixum sit rebus hu-
manis, quæ alioqui fluxæ sunt, vt ambulatoriæ,

idq; fecerunt Pythagorei, quò res translatae ad numẽ firmiores reddantur. Tria sunt Iurisiuradi peccata ex doctrina Pythagoreorũ, vt ait Hierocles. Primum, cum iuratur in rebus leuibus: Secundum cum iuramus vt orationem ornemus, *εις ἀναγλάωσιν τὸ λόγος*. Tertium, cum adhibetur Iusiurandum ad narrationis fidem.

ὁμνυμι.

HOC opus diuisum est in tres partes, prima continet præfationem vsque ad verbum *ἡγήσεθαι*. Secunda præcepta, vsque ad verba *ὅρκον μὲν ἔστω*. Tertia finẽ & execrationem. Priusquam ad opertanea olim aditus pateret vlli, per gradus illuc eũdum erat nec sine purgationibus.

Ἀπολλωνία ἱητέρον.

ROMANI Iouem lapidem iurabant, Lapidem scilicet in manibus tenebant iuraturi, & post conceptum Iusiurandum Lapidem hunc proijciebant. Apud Græcos iuraturi ferrum candens tenebant in manibus, hac ratione quia vt ignis extinguitur in aqua ita illi extinguerentur si Iusiurandum non seruassẽt.

Varij olim fuerunt Apollines diuersis cognominibus distincti, Olim quot erant beneficia deorum in homines, tot esse Deos crediderunt veteres, ita vt si quæ mulieres in partu,
aut

aut alia quavis simili repentina morte obirent à Diana illud immissum crediderunt. Morbi enim olim credebantur à singulis Dijs immitti, hinc apud Homerum initio lib. 1. Iliad. pestis fingitur ab Apolline immissa & qualiter rerum quarum cognitionem non habebat auctorem faciebant Deum aliquem.

Ἀσκληπιόν.

H πλῖος qui rerum causas tenet inde Ἀσκληπιὸς. Veteres suos benefactores in numerum deorum referebant, sic ab ijs Consecratus fuit Æsculapius. Hippocrates descendisse censetur ab Æsculapio, ideo ipsum nominat tanquam sibi cognatum, fortè quia quorum olim incogniti maiores, illi genus suum referebant ad aliquem Deum, Æsculapio veteres Medicinæ inuentionem tribuerunt, ut Apollini & etiam Herculi.

Καὶ θεὸς πάντας.

Consuetudo veterum fuit, ut in formulis precibus, & iureiurando, post singulos Deos enumeratos, per Deos omnes, & deas iurarent: Initio quidem quisque suum colebat Deum, sed postea non contenti hoc cultu, iurabant per Deos, & deas omnes.

Ἰστωρ.

Iστωρ testis, iudex, arbiter, qui videt qui interest rei.

K

ορχον τὸν ἢ καὶ συγγράφω.

Συγγραφή est scriptum inter duos aut plures, quod continet pacta apud Græcos, qui cū pactū inter se inibant, plura exēpla faciebant, quæ deponebant in templa, vel apud amicos, atqui ex eo dari poterat actio, idque faciebant cum non haberēt vsum eorū quos vocamus Tabelliones, siue Notarios. humanæ actiones duo habent principia, posse & velle, alij addunt scire, sed malè, & vt in voluntate, & in re posita gratitudo Sen. ita in Dei cultu hæc duo requiruntur.

ἤγησεθαι.

Ηγήσεθαι est quando lance est in æquilibrio, quod verò lancē deprimit, id θάχθαι à Græcis dicitur. ἤγησεθαι hoc loco est μεταπλίσια sumpta à lance. Alium tāti quanti alium æstimare, id est tanti præceptorem meū æstimabo quanti parentes meos.

τέχνη.

Τέχνη est instrumentum quoduis faciendi.

βίος.

Βίος est vita & victus.

Χρεῶν χρηρίζοντι μετάδοσιν.

Κρέος quicquid ad vsum est necessarium, & χρήμα τὸ κρέος est pecunia ex qua

creatur nomen debitum; *χρεῶν ἀποκοπή*, liberatio pecuniæ debitæ. Veteres olim permutatione utebantur in omnibus rebus, non enim omnis fert omnia tellus. Negotiatores inter se merces permutabant, non enim olim antiquissimis temporibus usus erat vëditionis, postea institutum est, ut pecuniâ fierent permutationes, verum iam permutationes non fiunt sed emptiones & vëditiones. *χρηρίζειν*, est. opus habere aliqua re ad usum, quoniâ autē id appetimus *γνώμη*, quo caremus, factum est, ut *χρηρίζειν* sumatur pro velle;

Ἀδελφοῖς.

Αδελφός qui in eodem ventre natus, qui in eodem utero est formatus, frater uterinus, à ductione *δελφός*, id est uterus & à significante *ὁμῶς* pro *ὁμόδελφος*, *ὁμοπάτριοι*, *ἀδελφοί* apud Plat. fratres ex eodem patre progeniti, *ἀδελφίξις* quasi fratriatio, apud solum Hippocratem.

Συγγραφεὶς.

Συγγραφή quid sit diximus pag. sup. est scriptū illud quod defertur in ius, Mos fuit olim Sophistarum, ut pasciscerentur de mercede, cum discipulis, ut scilicet dimidium acciperent in antecessum, dimidium syngrapha cautum erat. Gellius lib. 5. capit. 10. &

K 2

76 IN HIPPOCR. IUSIVRANDVM
hoc sensu *ξυγγραφῇ* est scriptum inter præce-
ptorem & discipulum, quo cauetur de danda
mercede reliqua præceptori.

Ἀκρόασις.

A *Κρόασις* est modus docendi accuratior,
cum ad docendum, accedit vnus, alter
ad audiendū, est cognitio ex traditione omniū
optima & certissima, itaq; narrat Herod. ca-
uisse Ægyptios ne quis patris institutum dese-
reret. *Ἀκρόασις* sunt recitationes, *Gal. leçons*
quas Philosophi, de rebus serijs solliciti erant
dicere. Lectiones seriæ, ad quas chariores dun-
taxat admittebantur, & ita Aristot. libros suos
Physicæ naturalis inscripsit. *φυσικῆς ἀκροάσεως.*

Μαθηταῖσι, συγγεγραμμένοις.

Σ *υγγεγραμμένοι* Conscriptus. *συγγεγραμ-
μένοι* dicuntur milites in numeros relati,
in laterculum conscripti, cōscripti in numeris:
Numeri sunt album in quo milites aut alij re-
feruntur. Sic cum Senatores conscripti & re-
lati essent in certum album, vocabantur *συγγε-
γραμμενοί*, Patres conscripti, sic milites, in nu-
meris, & è numeris.

Νόμος.

I *N νόμῳ* Hippocratis ponitur character veri
Medici, Menecrates vetus Medicus si quos
in pristinam valetudinem & in integrum resti-

tuisset eos sibi ita adductos, & obstrictos esse volebat tanquam si ab eo nati aut creati essent, atque adeo superbus erat, ut Dei nomen assumpserit, & Menecrates Iuppiter dici voluerit. Extant quædam ipsius Epistolæ ad Philippum in quibus ita est. Menecrates Iuppiter Philippo S. Tu quidem omnes Lacedæmonas occidere potes, ego mortuos in vitam reducere possum, Cui Philippus respondit, Philippus Menecrati sanam mentem optat, rectè sanè,

Διατήμασι.

Διατάω est viuo vel victus rationē certam teneo v. ad iudico. Medicus dicitur διατῶν victus rationem præscribere: Ægrotus dicitur etiam διατῶν cū eam obseruat. Δίατα est viuendi norma, quæcumq; ad victum pertinet, à voce αἶσθω quæ apud solum Pyndarū reperitur & significat cœnaculum; antiqua est vox. διατηπικῆ est quidquid Medicus præscribit ægroto, aut quidquid ex præscripto Medici facit ægrotus. In altera significatione διατῶν est arbitrium; διατῶν est inquirere causas; διατῆς qui sumitur ad controuersiam iudicandā, sic vocabantur iudices qui per singulas tribus lecti numero erant xxxxiij. vid. Poll. libr. 8. comment. Δίατα dicitur etiam locus vbi celebratur diæta, ut Concio ponitur pro Oratione,

K 3

78 IN HIPPOCR. IUSIVRANDVM
pro loco vbi habetur, & pro ijs qui audiunt:
hinc illud gratus fuit concioni.

Κρίσιν.

n/ **K**ρίσις proprie iudicium, sumitur tamen in-
terdum pro voluntate quæ nūquam siue
iudicio. Δηλῆσαι.

Δηλῶ est insula; quod repēte medio mari
emergat: δηλομαί in Apophteg. Lacc-
dæmoniorum est volo apud Plutarch. δηλῶ
Delos à verbo δηλόω manifesto.

Ἄδικιν.

Aδικία iniustitia, ἄδικῶ proprie est qui
in vendendo fallit in mensura. Generali-
ter est iniustus.

Φάρμακον θανάσιμον.

Φάρμακον vox media, & tam in bonā quam
in malam partē sumitur, vt & apud Lat.
Venenum, huiusmodi reperiuntur non pauca
vt ονειδῶ, quod proprie omnem famam signi-
ficat, siue ea bona sit siue mala, quasi τὸ ὦν εἶδος
species quæ apparet alicuius rei. ὕμνῶ olim
carmen erat in laudē aut vituperium alicuius.
συμφορὰ bonus aut malus euentus, quæ duo ta-
men postrema media esse desierunt.

Πεσὸν φθόρον.

Miratur Strabo apud Iudæos non esse fas
tollere liberos recens natos, quod vete-

ribus Ethnicis licuisse certum est, præsertim si
qui monstrosi essent, quin etiam ante partum,
fœtū abigere nulla fuit religio apud illos, adeo
ut Arist. dicat licere fœtum tollere antequam
sit in embrione sensus aut vita: & promiscuū
illud fuit apud veteres, nec quicquam ea de re
Cautū antiquis legibus; dico ante Romanos.
Cautum illud postea, ut patet ex Liuiο lib. 3.
D. ad leges Cornel. de Siccarijs lib. 8. D. eo-
dem & lib. 39. Dec. de pœnis. Tertull. etiam
in Apoc. Minut. Fœlix & alij dixerunt nihil
interesse hominem nascentem, an natum tol-
las, & properationem etiam homicidij si em-
brionem de medio tollas. Valde vsitatū erat
temporibus Hippocratis embriones de medio
tollere: Et ait Hipp. fœtus priusquam vitam
recipiant, haberi ut non fœtus, & sine pericu-
lo licere de medio tollere Embrionem, lib.
de nat. pueri. Παιδες in re ludicra est talis: a-
pud Medicos est genus medicamenti, quo Me-
dici quandoque uti consueuere. φθώρα ὀππο-
σιν γένεσθαι.

Αγνός.

Aγνός proprie purus à re Venerea, castus
generaliter de quouis cōtinente dicitur.
In magno prætio fuit olim cœlibatus, unde di-
ctum cœlibum vitam, cœlitū esse vitam. Αγνός

etiam est frutex qui Latine Virex quoq; solet appellari, ea facultate prædita planta, vt Venerum appetitum extinguat in homine & muliere: Qua de causa in Thesmophorijs Matronæ Atheniensium castitatem custodientes his folijs cubitus sibi sternebant Dioscor. Plin. Thesmophoria festa in Cereris honorem.

Antiquissimi Medici incatationibus vulnera sanabant & obligabant. Posterior ætas inuenit remedia in manu posita, & Medici munera obibant, quæ nunc Chirurghi, & vulnera ipsimet curabāt. Postea Hippocrates, causas quæsiuit & tandem contemplantē fecit medicinam, & quidquid manu fiebat separauit à Medico, & Ἀρχιτεκτονικὸν ἰατρὸν vocat illum qui ex causis sibi cognitis præceperat necessaria, ἀμειβρόν omnium rerum peritū & πεπαιδευμένον. Apud Ægyptios pro singulis partibus corporis diuisa fuit Medicina. In antiquis lapidibus legitur Augustum habuisse Medicum, oculorum, id est ab oculis, vt in maioribus oppidis, futorum alij faciebāt crepidas, alij calceos, alij soleas, alij superiorē tantum partem calcei, in minoribus non; ita fortassis erat de Medicis.

Λιθιάστας.

Λιθιάστας est calculū habeo; laboro lapide in Vesica ingenerato, & nō in vlla alia parte.

VETERES non quosuis temerè in ædes ad-
mittebant, nec nisi amicis domum alic-
nam ingredi licebat: cuius rei testimonia mul-
ta passim inter legendū auctores: Nam qui aut
furti inuestigandi siue concipiendi, aut aliū
rei causa alienam domum ingredi vellent, eos
nudos cum lance & licio ingredi necesse erat.
Nudos quidem, quia si qui habebant olim ini-
micum, vt illi negotium facerent, & calum-
niam ipsi domino crearent rem alienam amif-
sam secum ferebant, & eo immittebant, & hoc
modo periit Palamedes, immissis postea qui
furtum inuestigarent: Dico cum lance & li-
cio, quia plerumq; qui domum alienam in-
trabant furti inuestigandi causa, eo animo in-
trabant, vt ancillas vel etiam matronas cor-
rumperent, Ideoq; lancem ob oculos habe-
bant ne videndi matronas esset facultas, quæ
vbi secesserant eis licebat lancem amouere, &
lance deposita furtum concipiebant, Illud
enim fiebat duntaxat ob matrum familiæ præ-
sentiam, & vt improborum hominum lasciuia
aditus percluderetur. Licio autem transuerso
pudenda tegebatur eorum, qui istiusmodi fur-
tum inuestigabant.

L

APUD Romanos Veteres, si Dominus non quæreretur de corrupta ancilla, & nisi ipsius iniuriam vindicaret, non habebatur iniuria: apud Athenienses non item, Athen. lib. 6. Non enim eadem erat iniuria in seruum quæ liberum hominem illata, ipsi enim serui non poterant instituere actionem, sed Domini illorum nomine. Apud Rom. siquidem serui instar pecudum habebantur, vnde Arist. initio Poli. seruos numerat inter instrumenta, vt Boues, & similia, adeo misera fuit conditio seruorum olim.

θεράπειης.

MEDICI erant serui olim, obibant enim munera Chirurghi, & Pharmacopœi. *θεράπων* est ὁ θεὸς ῥάπων. σοὶ εἰμι θεράπων. Gall. *Je suis vostre seruiteur.* *θεραψ* voce Syriaca est Medicus, quia medicina olim apud Græcos à seruis administrabatur, qui simul erant Medici Chirur. Phar. propterea *θεραψ* cœpit appellari seruus.

Apud Veteres procerum quisq; habuit suos Medicos, quos amicorum nomine honestabant Veteres, vt in Historia legimus, Medicos adhibitos fuisse ad consiliū, vt in Augusto.

Σιγήσομαι.

GRÆCI dixerunt silentium non esse par-uam virtutis partē: læditur enim societas

tas humana cum arcanū non custoditur. Xenocrates partem diei tribuebat silentio, partē studijs. Loquitur hic Hipp. de quibusdā morbis quos neminem præter Medicum scire expedit.

Sunt quidam morbi, qui habentur turpes, ut lues Venerea.

ἄρρητα.

Aρρητον propriè est quod non dicitur, sed aliud voces sonant origine, aliud usu & consensu hominum, unde factum ut ἄρρητον sit quod non debet dici propter ritum religionis, ut apud Athenienses ἄρρητα dicebantur Ceremoniæ Eleusiniæ, Bacchi, & Eleusiniacorum sacrorum sunt etiam ἄρρητα arcana consiliorum publicorum, quæ non debēt communicari: sic apud Hebræos nomen IEHOVA dicebatur ἄρρητον, quia non pronunciabatur, sed eius loco κύριος dicebatur. Aristoph. scolias tēs ait ἀπόρρητα Athenis dici solita ea, quæ non poterant transferri ad hostes, ut arma, annona: sic apud Rom. grauiissima pœna pledebantur qui annonam transferebant, & hæc omnia dicuntur ἀπόρρητα siue ἄρρητα.

Conclusio est Iurisjurandi, quod sanctione finitur, quæ est sanctissima totius

L 2

Legis pars, quâ sublatâ tollatur etiam lex necessum est.

ἐπιτελέα ποιέον.
Eπιτελέα ποιέον pro ἐπιτελεῖν phrasis est Græca.

εὐχέον.
Eυχέον dicitur de metallo fuso, & ijs quæ funduntur in fornace metallica, & de Cera, quia ut statua ex istiusmodi materia facta, igni admota funditur, & totum opus est irritum, ita & hic. Est etiam confundere, Confunde fœdus Virg. lib. v. idem item quod frangere. *εὐχέον* est rumpere pactum, Iusjurandum, fœdus.

ἐπαύρομαι.
Est percipere fructum alicuius rei siue in bonum siue in malum. Hesiodus.

ἄνθρωποις.
Aνθρώποις Græcis est quod Latini dicunt mortālē. *ἄνθρωπος* vox monet hominē, ut sursum aspiciat. Pindarus non aliam fœlicitatem solet optare, dent mihi Dei, ut sim conspicuus sciētia, & peritia apud omnes Græcos, quod supra est non quæro, non posco. Quæsierat quidam ab Apolline, quomodo posset ditescere, Resp. Apollo eum ob hoc ipsum de-

D. ISAACI CASAVBONI NOTÆ. 85
bere perire, quòd contra fas numen rogasset.
Herodotus.

ἑπορκῆντι.

Eπορκῆν proprie est facere supra fœdus,
contrà fœdus, & contra Iusjurandum,
Hierocles enim ait id omne quod excedit Ius-
jurandum, esse periurium, hujus contrarium
est, ἑπορκῆν, seruare Iusjurandum, vnde ἑπορκῆς
qui seruat Iusjurandum.

IN HIPPOCRATIS IUSIVRANDVM,
ISAACI CASAVBONI
NOTARVM

FINIS.



RERVM ET QVÆSTIONVM
IN COMMENT. D. RANCHINI AD HIPPOCRATIS
Iusjurandum examinatarum.

P RÆFATIO,	pagina 6
De ordine Commentarij.	8
De Hippocrate,	9
De Iurisjurandi Hippocratici utilitate & necessitate in Medicina ediscendâ, edocendâ & exercendâ,	11
An Hippocratis Iusjurandum sit iustum & legitimum, & an Medici Christiani ad illius observationem teneantur?	13
Divisio Iurisjurandi,	18
P R I M A pars Iurisjurandi Hippocratici, quæ adiurationem & promissionem continet,	20
De Apolline, 21. De Æsculapio,	ibid.
De Hygiea, 22. De Panacea,	ibid.
Quid per Apollinem, Æsculapium, Hygieam & Panaceam audiendum sit,	23
S E C V N D A pars Iurisjurandi, quæ Leges & Regulas Apollinares continet,	24
P R I M A Lex. De Discipulorum erga Præceptores observantiâ, & gratitudine.	25
S E C V N D A Lex. De officio Præceptorum erga Discipulos,	28
T E R T I A Lex. De officio Medicorum in præscribendâ victûs ratione,	30
Q V A R T A Lex. De Venenorum & Venenatorum usu & abusu,	34
An liceat Medicis Medicamenta Lethalia præscribere & propinare?	35

<i>QVINTA Lex. De Abortivis ad Corruptionem foetus, & de Vita, Artisq; castitate,</i>	42
<i>An liceat Medicis foetum corrumpere, & abortum provocare?</i>	44
<i>An liceat Medicis Conceptionem impedire, & sterilitatem inferre?</i>	59
<i>SEXTA Lex. De Calculosorum sectione,</i>	62
<i>An liceat Calculo laborantes secare, secundum Hippocratis consilium?</i>	63
<i>SEPTIMA Lex. De Puritate & Castitate Medicorum,</i>	65
<i>OCTAVA Lex. De Prudentia Medicorum in reuelandis aut occultandis arcanis,</i>	67
<i>TERTIA Iurisjurandi pars, quae Execratoria est,</i>	69
<i>In Hippocr. Iusjurandum D. Casauboni Nota, p. 71. & seq.</i>	

FINIS.

Errata sic corriguntur.

Pag. 10. versu 25. Ideoque. *Legit*, Eique, pag. 31. vers. 9. duo. *L.* dum. pag. 38. vers. 25. cum ad salutem hominis pertineat, *L.* ad salutem siquidem hominis pertinet. pag. 52. vers. 24. vel ex partu. *L.* secundus, dum ex partu. pag. 59. vers. 16. periculum, *L.* impedimentum. pag. 64. vers. 8. Confugiant, *L.* confugiat. Si aliquot alijs iniustis mendis alicubi cōspersus hic Commentarius prodeat, earum partem otio denegato, partē verò & quidem maximam, vitio exemplaris (loquor hīc de Notis Casauboni) minùs accuratè scripti, & mutili, lectuque difficilis, adscribam Beneuolus Lector.

STVDIOSIS
PHILOSOPHERASTIS
CVRIOSIS

HENRICVS GRASSVS.

NE PAGELLA VACARET
inanis, paucula hac, placuit apponere,
quoddam memoriâ, scitu, relatuq; dignissima sint;
nec ab instituto videantur aliena. De Fonte sci-
licet *ASMANICO* circa Tiana valde mirabili; Nam,
ut aiunt, eius aqua niue Scythica frigidiores, ex subterraneis
montibus in fontem veniunt, ibidemq; extemplo feruent.
Haec, ex adstantibus & vicinis incolis, ijs, qui pro re aliqua
sanctè, recteq; iurauerunt, suaves potui, dulcesque sunt: at
peierantibus aduersa, horum oculos, pedes & manus ladentes,
necnon Hydropisim ac depilationis turpitudinem actutum fa-
cientes. Nec eiusmodi labe infectis abire possibile est, donec ijs,
quorum in prauidicium decierunt, perjurium suum consi-
zeantur. Miraculum huiusce fontis aequat Oeros ille Bithy-
nia fluminis, peierantibus iisdem, ac testibus fidei strictim
labefactato, penitus exitialis: Hos enim ille, tanquam iustus
perjurij vindex, vorricibus suis inuolutos, rapere creditur &
absorbere. His fructu, **L E C T O R**, Tractatusq; Patho-
logicos, & de Crisibus (quorum equidem editionem
distulit Apollinaris Coronæ, breui typis committenda, ne-
cessitas) una cum reliquis D. Ranchini, præceptoris mei
colendissimi, prælectionibus, Deo bene fortunante, prope-
diem à nobis expecta. *Viue & Vale.*